

*Analyticorum Posteriorum lib. 2.*

**H**abet Capita 19. Tractatus quatuor. Primus est de questionibus, quæ & quot sint, Secundus de definitione, cùsque discrimine à demonstratione. Tertius, de causarum generibus, ex quibus conficitur demonstratio; & de ratione investigandæ definitionis ac problematum. Quartus, de cognitione primorum principiorum. Vnde obiectum huius libri est definitio, ut est medium demonstrationis,

*Ad Caput primum.*

**P**rimus est tractatus, in quo docetur quatuor queri solere quia quatuor scientias debent. Primum, an res ita sit? ut deficit ne Sol. an non? Secundum, cur sit; ut cur deficit Sol? Tertium, an sit, nec ne, ut est ne Deus? Quartum, quid sit, ut quid Deus?

*Ad Caput secundum.*

**D**icit, omnem questionem petere medium: medium autem esse causam, qua cognita querere desinimus.

*Ad Capitum tertio, ad octauum.*

**S**econdus est tractatus, in quo docetur, non esse eundem sciendi modum per definitionem & demonstrationem. Omnis enim definitio affirmans est & universalis: at demonstrationes quedam sunt negantes & particulares. Deinde explicare quid res sit, non est demonstrare. Item definitio est subiecti; demonstratio, proprietatum. Denique definitio est medium demonstrationis: differt ergo definitio à demonstratione.

Statuit secundò non posse syllogismo demonstrari quid res sit, quia pateretur id quod queritur in assumptione.

Item non posse idem concludi diuisione, quia diuisio nihil probat: nec definitione ipsius quidditatis: nec definitione contrariaj. non enim probatur quid sit album. v. g. nec definitione quidditatis, nec nigri. Denique non posse omnino probari quid res sit, nec inductione, nec sensu. Quare solam definitionem explicare quid res sit.

*Ad Caput octauum.*

**D**icit, probari quidditatem per quidditatem, definitionem per definitionem. Primo, quia idem est scire quid sit, & causam questionis, an sit, an ita sit. Secundo, quod habet causas proptias & priores,

TOM. I.

potest per eas demonstrari: atqui definitio ad definitionem sic se habere potest, cùm utraque est in diuerso genere. sic ergo per definitionem in causa finali ostenditur definitio in genere causæ efficientis.

*Ad Caput nonum.*

**D**istinguit quidditates in indemnōstratives, ut principia prima & immedia ta, ut est definitio unitatis: & demonstrabiles, quæ medium habent, siue causam essentiæ, per quam quidem declarantur demonstracione, sed non ipsum quid sit.

*Ad Caput decimum.*

**S**tatuit definitionem uniuersim esse operationem explicantem quid res sit. Deinde eam esse vel nominis, vel rei. Definitione autem definitionis quidditatiæ est, ut dicatur oratio explicans propter quid est, id est, explicans naturam rei, quæ sumitur pro medio in demonstratione. Nam definitio quidditatiæ adeò necessaria est demonstrationi, ut ferè sit ipsa demonstratio, sola scilicet terminorum dispositione differens.

*Ad Caput undecimum:*

**E**s tractatus tertius, in quo statuuntur quatuor genera causarum, materialis, formalis, efficiens, finalis. Tum docetur, per omnia genera causarum licere demonstrare. Item causam probare causam. Finis enim, ut sanitas; causa efficiens, ut deambulatio, se inuicem demonstrant: sed & cum effectum demonstrari posse per plures causas, quia est à pluribus causis.

*Ad Caput duodecimum.*

**S**tatuit, causam eandem esse temporis cuiuslibet, quia eadem est causa eorum quæ sunt, & eorum quæ sunt nunc, & quæ anteacta sunt, & quæ sicut postea: ut interpositio terræ ad eclipsim lunæ, aquæ concretio & glacies.

Deinde causas effectusque tales semper esse simul: non tamen semper omnem effectum cohaerere causæ, nec ex ea continentur sequi. Nam positio architecto, non statim ponitur domus. Valet ergo consecutio à posterioribus tempore, ad priora tempore, non contra, ut domus facta est, ergo lapides cœsi, iacta fundamenta, non contra.

Tertiò causas, cùm ita nectuntur ut sibi inuicem sint causæ, se mutuò demonstrare, ut patet in generationibus circularibus, & iis quæ in orbem redeunt, ut madefacta

I

est terra, fit vapor, ex vapore nubes, ex nube pluia, ex pluia madet terra, rursus ex terra madefacta vapor, ex vapore nubes, & ita in infinitum.

*Ad Caput decimumtertium.*

*Ars definiendi.*

**D**icitur, ut struatur definitio, debere congeti in unum multa attributa communia essentialia, donec proprium quid ex omnibus simul iunctis effeceris, ut ternarius est numerus, impar primus.

Ponit methodum definiendi duplum, diuisiuam, quae fit diuisione generis in species per differentias, usque ad rem definiendam, & haec ratio vocatur descensus, ab universalibus nempe ad particularia: induciuam siue compositiuam, quae fit procedendo a particularibus ad universalia: & haec ratio dicitur ascensus, cum scilicet ex definitionibus individualium vel specierum, colligitur definitio generis. Praecepta utriusque sunt eiusmodi:

In priore methodo, sola essentialia adhibenda esse: eadem recto ordine disponenda: nullum praetermittendum.

In posteriore, similitudines esse obseruandas in individualibus & speciebus; vitanda vbi que homonymiam siue ambiguitatem, reiciendas metaphoras, debere claram esse definitionem. Hanc propriè esse universalium, sed specierum potius quam generum, quia in generibus latet ambiguitas.

*Ad Caput decimumquartum.*

**C**onferre diuisionem generum in species ultimas ad problemata inuenienda, & causas problematum, si considerentur ea quae cuiusque generis sunt propria, quae attribui possunt inferioribus. Consideranda & Analogia.

*Ad Caput decimumquintum.*

**E**xpliqat quomodo questioes siue problemata dicantur eadem. Nempe primo quia commune habent medium, & per eandem causam explicantur, licet sint de rebus specie diversis, ut cur fiat Echo, cur representatio in speculo, cur iris in nubibus appareat? Haec omnia problemata dicuntur eadem, quia explicantur per eandem causam, putata per reflexionem. Secundo dicuntur eadem, quia medium unius continetur sub medio alterius, ut, cur Nilus Aegypti fluuius in fine mensis maior est & concitator? quia extremo mense imbres sunt frequentiores. Cur hoc? quia extremo mense luna decressit.

*Omnia ista sunt analogia.*

*Ad Caput decimum sextum.*

**D**icitur, causam ex effectu colligi demonstratio quia, si causa propria est & πλατινή, & universalis. Ut arbor defrōdescit, ergo lata habet folia: deficit luna, ergo terra interponitur: deinde effectum ex causâ cōcludi demonstratione propter quid.

*Ad Caput decimumseptimum.*

**S**tatuit, in demonstrationibus propter quid, non posse esse plures & diuersas causas, per se, proprias, & veras, unius effectus; posse tamen alias esse causas, plures, saltem in diuersis rebus. Sic virtus diurnioris causam in quadrupedibus esse carentiam fellis; in avibus; siccum temperamentum, & in his non statim ex effectu certam causam colligi: sed predictæ causæ sunt per accidentem, unde etiam sunt diuersæ, nam causa per se & propria, ut bona temperies, una est genere, vel specie, vel proportione.

Esse etiam eiusdem effectus plures causas, cum est causarum subordinatio: ita ut una sit proxima, altera remota, ut cur folia cadunt? quia succus siue humor seminalis foliorum concrescit in pedunculo. Cur humor concrescit & congelatur? quia lata sunt folia. Ceterum in demonstratione medium esse definitionem primi extremi, id est, subiecti; ideoque omnes scientias per definitionem comparari.

*Ad Caput decimumoctauum.*

**D**icitur in demonstrando propinquorem causam esse potiorem.

*Ad Caput decimumnonum.*

**T**ractus est quartus, in quo de intelligentia & cognitione principiorum agitur, quae cognosci debent, antequam sciamus per demonstrationem.

Principiorum notitiam non esse à natura insitam probat: quia cum sit perfectissima & clarissima, fieri non posset ut eam habemus, & tamen nos eam habere dubitamus, præsertim cum scientia, quae non est scientia certior intelligentia, non lateat habentem lumen nisi scientem: sciens enim scit se scire: at qui tu, seipsum dubitamus, an principiorum cognitionem habeamus.

Sed contra, probat esse insitam. Quia alioqui deberet acquiri per disciplinam, id est, discendo: at non potest sic acquiri: quia *Omnis disciplina fit ex praexistenti cognitione sive intellectu: At nulla potest esse cognitione prior cognitione principiorum.*

Statuit, intelligentiam siue habitum prin-

cipiorum neque insitum à natura esse, neque acquiri antecedente cognitione intellectiva, sed per sensum sive inductionem ex multis particularibus, è quibus à sensu collectis, intellectus elicit vniuersale: sit enim memoria ex sensu, experientia ex memoria, ut dicitur cap. 1. lib. 1. Metaph. Ex experientia autem vniuersale, vnde principium scientiæ & intelligentia.

Probat postea, habitum principiorum non esse scientiam: quia scientia supponit cognitionem principiorum, quæ est ipsa intelligentia: scientia enim est conclusio-nūm, ut intelligentia principiorum. ex quo sequitur, intelligentiam esse longè certiorem scientiā. Hæc de posterioribus Analyticis.

## Ad Libros Topicorum.

**D**ialecticæ pars vna dicitur Analytica, de qua hactenus: altera Topica, sive localis, cui propriè Dialecticæ nomen solet attribui: de qua deinceps.

Est ergo pars Topica, sylva locorum è quibus argumenta petuntur, ad differen-dum de omnibus probabiliter.

Locus est, vel maxima sive axioma com-mune, quod multis accommodatur: vel nota sive differentia maximæ seu axiomatis; ut genus, vnde loci à genere contrarium, vnde loci à contrario.

Locus est sedes argumenti sive vnde pe-titur argumentum. Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem, sive id quod assu-mitur ad aliquid probandum. Dicitur etiā locus principium epicherematis: epichera-ma autem est syllogismus ipse Dialecticus sive probabilis:

A loco igitur sic sumpto, nomen habent hi libri, τόπος enim locus est: quia commu-nia axiomata, quorum usus est in differen-do, explicant; itemque notas sive differen-tias maximarum.

Sunt ergo libri Topicorum octo. Primus est de syllogismo Dialectico & rebus ne-cessariis ad methodum Dialecticam: Se-cundus & Tertius, de problemate acciden-tis, in hoc quidē comparatè, in illo, absolu-tè. Quartus, de problemate generis. Quin-tus, de problemate proprij. Sextus & Sep-timus, de Definitione & eodem. Octauus, de officiis respondentis & disputantis, sive de exercitatione dialectica.

## Liber Primus Topicorum.

**C**onstat capitibus octodecim.

Tom. I.

## Ad Caput primum.

**D**esignat scopum operis inuenire scili-<sup>εξεργάζεται</sup>. cct methodum argumētandi de om-nibus probabiliter, & respondendi sine cō-tradictione.

Repetit ex Analyticis, definitionem syl-logismi & demonstrationis.

Syllogismum Dialecticum definit eum, πίστιν οὐδέ qui ex probabilitibus concludit.

Probabilia, quæ videntur omnibus, vel <sup>ησυχος</sup> multis, vel sapientibus, vel sapientissimo.

Syllogismum εργασίας sive contentiosum, πίκος, qui videtur ex probabilitibus constare, cùm tamen reverâ iis non constet.

## Ad Caput secundum.

**V**tilem esse Dialecticam demonstrat, ad exercitationem differendi in vtrā-que partem: ad sermones sive congressus familiares; & ad Philosophicas scientias: nempe quia probabilitas in qua occupatur Dialectica, id est Topica, illustrat principia scientiarum.

## Ad Cap. tertium.

**D**ialecticam esse artem conjecturalem, vt sunt Rhetorica & Medicina; ideo non semper illam, ut nec has, assequi suum finem. Satis tamen est ad Dialecticum, vt nihil artis suæ prætermittat, ad probabili-ter concludendum.

## Ad Cap. quartum.

**D**icitur, disputationem omnem esse de-iis quæ in quæstionem veniunt: hæc auté esse quatuor attributa, genus, sub quo differentia continetur, definitionem, pro-prium, & accidens, quæ de re qualibet que-ri possunt. Ex his omnem propositionem si-ue problema constare. Propositionem verò & problema differre modo, nempe quod problema vtramque partem interroget, vt <sup>πίθηκος</sup> animale estne genus hominis, an non <sup>βλιψα;</sup> proposicio autem vnam, vt, nonne animal est ge-nus hominis?

## Ad Cap. V. ad X.

**D**efinitur definitio, oratio quæ signifi-cat quid res sit. Proprium, quod non declarat, quid res sit, sed ei soli inest & cum eā reciprocatur. Genus, quod pluribus spe-cie differentibus attribuitur in quid. Ac-cidens, quod neque est definitio, nec ge-nus, nec proprium, & eidem inesse potest & non inesse. Atque hæc tria quidem re-uocantur quodam modo ad problema.

definitionis; sed satius est ea distinguere. Ad definitionem reducitur idem genere, specie, numero.

Omnis propositiones & problemata referuntur ad quatuor illa attributa. omne enim attributum vel reciprocatur, & hoc vel est essentiale, vnde definitio: vel accidentale, estque proprium; vel non reciprocatur: estque adhuc vel essentiale, vnde genus, vel non essentiale, estque accidens.

Petuntur autem attributa ex serie decem Categoriarum.

*Ad Caput decimum.*

*πρότερον διαλέκτης οὐ πάντα.* **D**efinit propositionem dialecticam, interrogationem probabilem, receptam ab omnibus, vel multis, vel praestantissimis, ita ut tamen à communi opinione non sit adeò aliena. Deinde statuit similia probabilibus habenda esse ut probabilia.

*Ad Caput undecimum.*

**F**acit Dialecticum problema, triplex, Practicum siue morale pertinens ad electionem vel fugam: Theoreticum, pertinens ad scientiam: neutrum, quod ad illa confert, id est, Logicum.

Deinde thesim ait esse sententiam paradoxam illustris cuiuspiam Philosophi, contra communem opinionem.

Admonet, non oportere omnem thesim reuocare in questionem, ut an oporteat nec-ne deos colere, & parentes diligere? Qui enim hoc in dubium reuocat, pœnâ dignus est, ut is qui dubitaret an nix sit alba, egere sensu id est, visu, diceretur.

*Ad Caput duodecimum.*

**A**rgumentationem dialecticam, aliam ait esse inductionem, quæ est progression à singularibus ad vniuersale: aliam, syllogismum, de quo supra.

*Ad Cap. XIII. ad XVIII. & finem libri.*

**D**icitur primò, quatuor instrumentis paracopiam argumentationum, delectu propositionum, distinctione homonymorum, inuentione differentiarum, consideratione similitudinum.

Deligi ergo debere propositiones probabiles & à multis receptas, & singularium artium proprias, & generales omni exceptione maiores.

Discernendam homonymiam, eius causam afferendo. Ut verò homonymiam, siue ambiguitatem sagaciter possis odorari & animaduertere, decem locos esse conside-

rando, à contrariis, à mediis inter contraria, à contradictione, priuantibus, relatis, coniugatis, genere, definitione, differentia & specie, quorum quæ circumferuntur axiomata, tenere oportet.

Quærendas esse differentias eorum quæ sunt sub eodem genere: Item eorum quæ affinia sunt, ne similitudo decipiat.

Quærendam esse similitudinem in diversis, quæ scilicet tam longè distant ut latet affinitas, ut in visu & mente, Rege & Pastore.

Horum instrumentorum summam esse utilitatem ad rerum perspicuitatem, ad syllogismos hypotheticos, ad definitiones.

*Liber Secundus Topicorum.*

**H**abet Capita vndecim, licet alij quinque tantum recenseant. In primo traditur generalis doctrina de problemate: in cæteris exponuntur loci vnde promantur argumenta ad infirmandum, vel confirmandum accidens: quibus scilicet probetur, aliquid esse accidens, vel non esse.

*Ad Caput primum.*

**P**roblematum alia esse vniuersalia, alia particularia.

Qui loci vniuersalia destruunt, vel adstruunt, eosdem adstruere vel destruere particularia,

Incipiendum ab vniuersalibus.

A Proprio, Genere, Definitione, fieri statim & simpliciter denominationem, ab accidente, non item: quia accidens est quid externum, nec necessariò vel intimè rei coniunctum. Vitiosam esse propositionem quæ falsa sit, vel quæ usurpet impræpria vocabula.

*Ad Caput secundum.*

**E**xpliçantur loci pertinentes ad problema accidentis.

Primus, quod conuenit ut genus, ut proprium, ut definitio, non est accidens.

Secundus quod nulli speciei inest, non inest generi: sed quod omnibus speciebus inest, rectè attribuitur generi.

Tertius, quod non conuenit definitio, non conuenit definito: & cui conuenit definitio, conuenit & definitum.

Vna instantia destruit propositionem generalem.

Loquendum ut plures, visitatis scilicet vulgo nominibus, sentiendum de rebus, ut docti & sapientes.

# DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

101

## Ad Caput tertium.

**I**Mpugnandam esse thesim homonymam ea ratione qua refelli facilius potest.

Examinandas esse orationes amphibologicas.

## Ad Caput quartum.

**D**Ebere obscūrum nomen mutari in notius & clarius.

Quod affirmatur de specie, affirmari de genere, saltem particulariter.

De quibus dicitur genus, de iisdem dici aliquam speciem.

Posito antecedente, ut iustitia ponit consequens, ut virtutem.

Quod non semper conuenit, id non inesse simpliciter nec necessario.

Obiter, scire esse præsentium & futurorum; memoriam esse præteriorum tantum.

## Ad Caput quintum.

**V**Itiosam esse digressionem in disputando, nisi ea sit necessaria.

Falsam & ineptam propositionem, id est, ad rem non magnopere facientem, posse concedi per, transcat, sed negandam conclusionem.

In disputando satis esse unum incommodum è problemate consequens, ostendere.

## Ad Caput sextum.

**C**Ontriorum immediatorum utrilibet positum, tollere alterum. Ut roris sublati à proprio subiecto, alterum ponit. Si sanitas est, ergo morbus abest: si morbus est, ergo abest sanitas. Putauit enim Aristoteles, quidquid in contrarium dicant Medici, sanitatem & morbum esse contraria immedietia, id est, inter quæ nullum sit medium, nullus status neuter.

Cui conuenit notatio nominis, ei & non men conuenire.

Disparata non posse simul cohætere, ut plantam & hominem.

Polyonyma sibi non accidere, quia sunt eadem; sic non accedit cultro, ut sit gladius: voluptati, ut sit gaudium, lætitia, iucunditas.

## A Capite septimo ad finem libri:

**C**Ontriorum contraria, oppositorum opposita esse attributa.

Eidem contraria non conuenire.

Idem non conuenire contrariis.

Tom. I.

Contraria non posse esse simul.

Contrariorum consequentia, esse contraria.

Coniugatorum consequentia per se, esse etiam coniugata.

Cuius rei ortus bonus est, eiusdem interitum esse malum, & contra.

Similium esse simile iudicium.

Quod magis est, magis inesse.

Si quid conuenit ei cui conuenire minus videtur; conuenire etiam ei cui magis videatur conuenire.

Si quod magis videtur inesse, non inest tamen; neque inesse id quod minus videtur conuenire.

Parium esse parem rationem:

Si quid, ut virtus, adiectum vni, facililud tale, putat bonum, necesse est illud cui adjicitur, putat hominem esse tale, putat bonum.

Quod tali rei adiectum, facit eam magis tam, ipsum quoque tale est.

Quod dicitur cum additione loci, temporis, alteriusue circumstantiae, potest etiam dici simpliciter. Rex est Parisiis, ergo Rex est.

Liber Tertius Topicorum.

**H**abet cap. Sext tractatus, sive partes quatuor.

Prima exponit locos, quibus docetur aliquid melius esse & optabilius; tribus capitibus comprehensos.

Secunda, locos de absolutè eligendis & fugiendis Quarto Capite.

Tertia locos communes de comparatione accidentium. Quinto Capite.

Quarta de ipso problemate accidentis particulari. Sexto Capite.

## Ad Caput primum.

**B**onum, quo diuturnius & constantius est, eo esse optabilius, intellige ceteris paribus.

Quod vir prudens ac peritus iudicat esse bonum: quod secundum meliorem scientiam tale iudicatur; & quod per se & simpliciter bonum est, id melius esse, quam quod bonum est per accidens & secundum quid.

Bonum naturale melius esse artificiali, diuinum humano, spiritale corporeo, fine medio, ut id à quo maius oritur bonum, & minor malum maiori, plura bona paucioribus, difficiliora facilitioribus, propria communibus in eadem specie.



## Ad Caput secundum.

**Q**uod habet propriam virtutem, id esse magis eligendum, quam, id quod non habet, &c.

Fugiendum magis, quod magis impedit res eligendas, ut morbum quam deformitatem.

## A Cap. III. ad VI. &amp; finem libri.

**N**atura tale, magis esse tale, quam quod non est natura.

Quod efficit, nobiliter est eo quod non efficit, siue agens esse patiente praestantius.

Item, quod magis efficit, quam quod minus; ut quod semper, quam quod aliquando.

Magis esse tale, quod contrarij minus habet: sic minus nigrum esse magis candidum, quam magis nigrum.

Statuit postea ad problema, particulare de accidenti facere locos omnes universales, Nam si omni inest, fuerit alicui.

Opposita oppositis attribui, & hoc oppositum huic opposito.

Si corruptus, ut sic, est bonum; corruptum, erit malum.

Quod in uno eiusdem speciei verum est, verum esse in aliis eiusdem speciei.

Propositiones indefinitas similes esse particularibus.

Divisionem generis utilem esse, ut docetur aliquid inesse, vel non inesse: ut cognoscatur, an accidentis insit, vel non, divisione opus esse.

## Liber Quartus Topicorum.

**H**abet Capita sex, quibus explicantur loci de genere: quorum hi sunt insigniores.

Id non esse genus, quod non prædicatur de omnibus speciebus: & quod non dicitur in quid: & quod est accidentis: & quod non est eiusdem Categoriae: & quod non æquè latè patet.

Vnam speciem unum habete proximum genus.

Genus non includere definitionem inferiorum.

De quo dicitur genus, de eodem superiora generis attributa prædicari.

Differentiam rei, non esse genus rei.

De quo differentiae diuidentes nullæ dicuntur de eo nec dici genus.

Posita specie, ponit genus, non contraria.

Quod non habet plures species, non esse genus.

In analogis, si unum est genus unius; alterum

rum etiam esse genus alterius: sic, ut se habet visus ad sensum: sic Physica ad scientiam; ergo si sensus est genus visus, scientia erit genus Physicæ.

Vt se habet causa efficiens, ad genus suum; sic effectum ad suum. v.g. si vrere est agere; vri esse pati. Si species est habitus, esse etiam genus habitum.

Vbi species, ibi & genus.

Subiectum non esse pro genere ponendum: sic Iustitia non est voluntas, quia voluntas est subiectum iustitiae, unde male iuris consultus iustitiam definit perpetuam constantemque voluntatem ius suum cuique tribuendi.

Terminum transcendentem, ut sunt res & ens, non esse genus.

*Liber I. in*  
Nihil esse genus sui subiecti, ut album *di iustit.*  
*& iureti-*

Vt concretum se habet ad concretum; *tulsi.*  
sic abstractum ad abstractum. Si musicus est sciens, musica erit scientia.

## Liber Quintus Topicorum.

**H**abet Capita nouem, quibus declarantur sequentes loci de proprio.

Statuit autem imprimis Aristoteles, Proprium dici quatuor modis, per se, ut hominis, esse animal mansuetum natura, aut capax disciplinæ: vel per comparationem cum altero: sic animæ proprium imperare, quatenus cum corpore compatatur: vel semper, ut Deum esse immortalem: vel aliquando, ut cuiusdam hominis, deambulare in Gymnasio. Deinde considerandum esse illud proprium quod est per se & semper. Et de eo quidem hos esse locos, saltem præcipuos.

Proprium notius esse debere & evidenter, quo ad nos, suo subiecto. Quare errasse Democritum, qui dixit proprium ignis esse, ut sit animæ simillimus.

Explicandum esse proprium sine amphibologia.

Quod conuenit rebus omnibus, non esse proprium certæ speciei.

Subiectum non esse de essentia proprii.

Quod conuenit certo tantum tempore, non esse proprium.

Proprium conuenire speciei, ut species talis est.

Non esse de essentia subiecti.

Idem non esse sui proprium.

In homogeneis, id est, iis quorum partes eiusdem sunt naturæ cù toto, id quod proprium est totius, esse etiam proprium partium: aqua tota refrigerat, ergo & pars.

Si duo contraria attributa conferantur cum subiectis oppositis, si unum est proprium unius, alterum esse proprium al-

terius, & contra. Idem de relatis iudicium.

Si habitus proprius est habitus, vel forma formæ, res rei priuationem esse priuationis propriam, ut si proprium visus est videre, proprium cæcitatæ erit non videre.

Cùm contradic̄tio confertur cum contradictione, si affirmatio est propria affirmationis, negatio erit propria negationis. Formetur exemplum.

In Analogia, vt se habet primus terminus ad secundum, sic tertium ad quartum se habere, & vt secundus se habet ad primum, ita quartum ad tertium se habere, vt in hoc exemplo, oculus, videre, auris, audire.

In re esse tria, ipsum esse, generationem rei, & eius corruptionem. Cùm ergo duæ res conferuntur, vt se habet esse ad esse, ita corruptio ad corruptionem; generation ad generationem.

Quod ideæ non conuenit, putà naturæ humanæ in vniuersum, non esse proprium eius rei, cuius est idea, putà singulorum hominum.

Quod conuenit ideæ, vt idea est simpliciter separata à sensibilibus, vt est immortalitas, id non conuenire inferioribus.

De eo quod magis est & minus, dictum fuit suprà.

Parium parem esse rationem.

Potentiam vnam, ad actum reduci ab alio, vt inflammabilitatem in oleo: alteram reduci ab eo cui inest, quæ sola dici potest proprium: quia prior dependet ab alio.

Proprium non debere assignari hyperbolice, nec termino superlativo explicari. Sic ineptè dici proprium esse ignis, vt sit corpus leuissimum.

#### Liber Sextus Topicorum.

**H**abet Capita 14. tractatus tres, in quibus exponuntur loci de definitione, quibus scilicet probatur aliquid esse definitionem, vel non esse, aut esse definitionem accuratam benèque traditam, aut non. Insigniores loci sic habent.

Vitiosa est definitio quæ constat vocabulis metaphoricis, homonymis, inusitatibus: Item quæ superflua continet.

Definitio debet rem explicare per notiora & priora.

Non licet definire opposita per opposita, nisi in relatis.

Négationes & priuationes non definiuntur propria & accurata definitione.

Definitio debet explicare proprium genus, & veram propriamque differentiam.

Tom. I.

Vitiosa est differentia, quæ per negationem exprimitur.

Genus & differentia debent esse eiusdem Categorie.

Cui conuenit genus, & differentia, eidem conuenire debet definitio generis, & definitio differentiæ.

Cùm terminus unus habet rationem finis, alter medij, res definienda est per finem.

Non debet definiri contrarium per contrarium, vt calor per frigus.

Homonymum multiplici definitione Cap. 13. l. 2 poster. Analyt. debet explicari.

Homonymia latet sæpe in generibus.

Reddere verbum pro verbo, non est definire.

Debet fieri definitio per præstantiorem differentiam.

In definiendo, aut hæc definiuntur, vt cùm hydromel dicitur aqua & mel: aut ex iis, vt cùm hydromel dicitur ex aqua & melle factum: aut hoc cum illo, vt cùm hydromel dicitur aqua cum melle.

Partes definitionis dicuntur de definito, vel in recto casu, vel in obliquo; vel partim in recto, partim in obliquo.

Cum non potest tota definitio conuelli vel refutari, debet pars eius impugnari.

Melior definitio eneruat tollitque detractionem, vt lex legem.

Quisquis verum probè nouit, mendacia facile deprehendit. Ideò vt fucatas definitiones facillimè deprehendere possis, paratam semper promptamque definitionem, habeto, quæ vera sit & legitima.

#### Liber Septimus Topicorum.

**H**abet Capita quinque, partes tres. In prima exponuntur loci de eodem & diuerso. In secunda, loci de confirmanda definitione. In tertia, ponuntur communia documenta.

Idem ergo dicitur vel genere, vel specie, vel proportione; sed propriissimè, inquit Aristoteles, quod numero vnum est, siue quod re & ratione planè est idem, vt culter & gladius.

Cum duæ vocabulorum coniugationes conferuntur inter se, vt fortitudo fortiter, iustitia iuste; vt se habet casus vnius ad casum alterius, ita reliqui ad reliquos. Ergo si iustitia non est idem quod fortitudo, iustus non erit idem quod fortis.

Iisdem eadem, eodemque modo opponuntur.

Ea sunt eadem quibus eadem opponuntur & modo eodem.

Eorumdem idem est ortus & interitus.

I iiii

Quibus idem superlatuum attribuitur, ea sunt eadem.

Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, supple, in ratione illius tertij: vt homo & brutum, sunt eadem vni tertio, nempe animali, vnde sunt eadem inter se, ratione scilicet illius tertij, id est, generice.

Quæ differunt categoria, differunt numero.

Si è duobus vnum intenditur, alterum non intenditur, ea non sunt eadem.

Diuersa genere, sunt diuersa specie.

Diuersa specie, sunt diuersa numero, non contra.

Quæ possunt separari, itavt vnum possit esse sine altero, ea non sunt eadem.

Quibus locis euertitur identitas, iisdem euertitur & definitio.

Qui loci valent ad identitatem, non sufficiunt ad confirmandam definitionem, ideo ad hoc, loci alij exponendi. Scieñdum tam prius definitiones in scientiis supponi, non probari. Item esse potius partis Analyticæ quam Dialecticæ, præcipere de definiendo.

Definitionem esse orationem quæ quid res sit, explicat. Denique genus & differentiam coniuncta dici in quid. Igitur

Oppositarum definitionum, si vna bona est, erit & altera.

Omnis bona definitio constat genere & differentia totali.

Coniugata definiuntur eodem modo, sed secundum casus suos: si enim obliuisci est amittere scientiam, obliuio erit dicenda amissio scientiæ.

Similium similis est definitio.

Cùm vna oratio æquè videtur definitio, atque altera; si hæc, definitio est, erit & illa.

Oppugnatur definitio longè facilius quam propugnatur.

Proprium & genus facilius oppugnatur quam confirmantur.

Accidens facilius confirmatur, difficilius refutatur.

#### Liber Octauus Topicorum.

**H**abet Capita 14 partestres. Prima est de interrogatione, id est, de disputatione: interrogare enim, apud Aristotelem, est disputare, sive agere ratiocinando aduersus aliquem. Secunda, de response. Tertia, de exercitatione.

#### Ad Caput Primum.

**H**aec tenus de inuentione locorum; nunc de dispositione, & quomodo

interrogare, seu agere Dialecticè & disputare oporteat.

Docet ergo, cum, qui disputaturus est, debere primò inuenire locum. Secundò, disponere, & interrogare apud se. Tertiò, proferre in aduersarium.

Vtitur ergo Dialecticus propositionibus necessariis, ex quibus nempe fit omnis argumentatio, aut sine quibus hæc non potest extrui, (necessaria enim propositio hic non vocatur, quæ est de materia necessaria, sed quæ necessariò requiritur ad argumentationem Dialecticam: Constat enim, propositionem Dialecticam simpliciter non esse necessariam, ne quis hic offendatur) & assumptis: quarum sunt quatuor genera: vel enim inductionis gratia adhibentur propositiones; vel ad ornatum sive amplificationem; vel ad occultandum consilium; vel ad perspicuitatem maiorem. Hæc enim propositiones assumuntur tanquam non necessariae, licet utilesimæ.

Adhibetur autem inductio, vt ex particularibus confirmantur propositiones universales, ex quibus oportet argumentari: ornatus vero, vt amplificetur & illustretur oratio: occultatio, vt conclusio lateat; denique perspicuitas, vt ex disputatione omnis ambiguitas remoueatur.

De singulis ergo generibus propositionum, hæc præcepta traduntur.

Non debere statim initio proponi necessarias propositiones, sed alias quasdam minimè necessarias, & quæ à re videantur remotiores, quæ assumptæ dicuntur; vt paulatim ad conclusionem intentam trahatur imprudēs aduersarius, qui népe responderet.

Sic esse interrogandum, vt aduersarius nesciat, quam partem sis assumpturus.

Diuertendum aliquando ad similia, & ad authoritates.

Miscendas propositiones & quodammodo perturbandas, ne respondens aduerat vim syllogisticam.

Ad amplificationem & illustrationem orationis, id est, ad ornatum, vti oportere inductio, de qua dictum est, & divisione: vt si de scientiis agens, dicas alias esse contemplativas, alias aetivas, alias effectivas.

Denique ad perspicuitatem, vtendum esse exemplis idoneis & parabolis, sive rerum similium collationibus.

#### Ad Cap. secundum.

**S**tatuit in disputando vtendum esse syllogismo apud doctos, putà Dialecticos & Philosophos; inductio vero apud vulgum.

De inductione præcipit, vt si vniuersale

probandum proprio nomine careat, fingatur accommodo datum.

Item ne obiectio siue instantia petatur, nisi facta fuerit induc<sup>tio</sup>.

Explicandam homonymiam.

Postulari debere conclusionem inductionis, si non detur contraria instantia.

De syllogismo præcipit, ut fiat ostensio, non per impossibile.

Vt constet propositionibus perspicuis, & quæ ægrè possint negari, vel refutari.

Vt colligatur conclusio, non per interrogationem, sed nudè & simpliciter, tanquam necessariò consequens.

Ne sæpius interrogetur & repetatur eadem propositio.

Increpetur, vel deseratur aduersarius, si aptè non respondet.

#### *Ad Cap. tertium.*

**D**icitur, ea problemata siue hypotheses, quæ difficulter impugnantur, facile defendi: vt sunt prima principia, & ultimæ conclusiones.

Item propositiones proximas primis & ultimis difficilè impugnari.

Propositionem confirmatu difficilem ege redefinitione, velesse homonymam, vel metaphoricam.

Si male constituta est definitio, difficulter confici syllogismos, cum in aliis artibus, tum maxime in mathematicis.

#### *Ad Caput quartum.*

**D**icitur esse interrogantis cogere respondentem ad incredibilia & absurdia ex thesi sequentia: Respondentis verò officium esse, dare operam, ne quidquam absurdum ex suis responsionibus & thesibus colligatur; & potius argumenta interrogantis videantur absurdia.

#### *ACap. quinto, ad decimum quartum.*

**A**dmonet, sermones siue disputationes alias institui ad docendum, esséque didascalicas, in quibus nihil unquam falsi esse debet: alias contentiosas, siue Sophisticas, in quibus interrogator conatur vincere respondentem, eum deducendo ad absurdum, respondens verò opposita argumenta dissoluit: alias denique Dialecticas, quas vocat σωδος, quæ sunt exercitationis gratia, periculi & inquisitionis, interrogando & respondendo. Et de ratione quidem interrogandi, dixit suprà; nunc de ratione respondendi agit.

Ait ergo, thesim omnem, vel esse probabilem, vel improbabilem, vel neutram. Qui respondet de improbabili, non debere

admittere propositiones à disputante proprias, nisi valde probabiles: qui de probabili, debere admittere probabiles & non probabiles, minus tamen improbabiles conclusione. Qui de neutra, debere concedere probabiles & non probabiles, modo sint minus improbabiles conclusio-

ne. Agendum esse ad hominem ex concessis ab ipso.

Si quid non ad rem proponatur: Respondendum, transeat, esto.

Si quid falsum, obscurum, multiplex afferatur, negandum: petenda explicatio, distinguendum.

Respondendum esse ad inductionem concedendo probabilia singula, negando tamen conclusionem vniuersalem, simulque afferendo instantiam.

Responsorum de thesi, debere secum primò agere & meditari quid sit responsorū ad argumenta, quæ possunt opponi.

Non debere improbabilia defendi.

Falsam conclusionem in legitimo syllogismo, indicare alteruram, vel utramque propositionem syllogismi esse falsam: idè negari debere monstrando causam falsitatis; & hoc est soluere argumentum.

Impediti autem argumentum ait, cum argumentanti opponitur obiectio, quam non potest soluere.

Si disputatio non rectè perficitur, in causa esse interrogatorem vel respondentem: hunc quidem, si pertinaciter & male respondeat, negatque ea quæ concedi debent: illum, si ineptè & non ad propositum argumentetur.

Reprehendi argumentationem præsttim ex vitiosa forma & falsa materia.

Si non est ad rem, dicendum nihil concludi contra thesim: si ad rem, esse sophisma, siue syllogismum contentiosum & fallacem. Vbi annotat, syllogismum demonstratiuum dici Philosophema; Dialecticum, Epicherema; syllogismum verò σωδια, διαλεκτικη contradictionis, qui scilicet ζειρημα. dubios nos facit an hanc vel illam partem probare debeamus, Aporema.

Non esse verò probandum per plura, cum sufficiunt pauciora.

Atque ut caueat respondens ab obscura falsaque argumentatione, scire debere, eam esse perspicuam argumentationem, cuius propositiones adeò claræ vel certæ sunt, ut non egeant confirmatione: falsam verò, quæ non concludit, quia vel est Sophistica; vel non est contra thesim; vel probat ex alienis; vel constat falsis propositionibus.

Debere etiam respondentem reprehendere disputantem, cum petit principium; id

est, cum idem peridem probat quocumq; modo id faciat. Item cum petit contrarium, id est, cum callide postulat sibi concedi duas propositiones contrarias: Hinc enim turbaretur respondens.

*Ad Caput decimum-quartum.*

*τοι της γνωμασίας.*

**A**git de exercitatione Dialectica. Cum enim Natura reddat nos habiles, ars faciles & promptos, usus & exercitatio potentes ad agendum; sane ut recte disputemus ac respondeamus, exerceri oportet in conuertendis propositionibus & syllogismis; item disscrendum in utramque partem. Inuentarum rationum solutiones quaerendae, prouidendum quid sequatur ex nostra affirmatione, vel negatione. Tenuenda principia & fundamenta quaestionum.

Sciendae definitiones plurimæ, itemque loci communes de iis quæ in quaestione sœpe cadunt. Assuescendum diuisio- ni propositionis vnius generalis in plures. Incipiendum à remotissimis & clarissimis, ab hypothesi ad thesim transcendum id est, à particulari ad vniuersale. Agendum Inductionibus apud tyrones: Syllogismo, apud peritos.

Referendum ex disputatione fructum aliquem, ex cognitione syllogismi propo- siti, solutionum, obiectionum.

Examinandam esse rationem disputationis. Non esse cum quis disputandum. Oportet enim sophistas oppugnare, sed non semper decet.

Fugiendos esse pertinaces & contumeliosos.

Denique habendas esse in promptuar- gumentationes de iis thesibus, de quibus suppetunt pauca argumenta; sic tamen ut sint vniuersalia & ad multas theses possint adhiberi. Hæc habet Aristoteles octo libris Topicorum.

*Liber unus de Elenchis Sophisticis.*

**H**abet Capitata trigintaquatuor. Tra- status siue partes quinque. Prima docet esse quosdam syllogismos Sophisti- cos & fallaces. Secunda, exponit fines siue scopos Sophistarum. Tertia, falla- cias in dictione extra dictio- nem. Quarta dispositionem & interrogandi rationem, qua uti Sophistæ debeat. Quinta ra- tionem respondendi & soluendi Sophis- mata.

Agit quippe Dialectica de vitiosis & So- phisticis syllogismis, ut Medicina, de ve- nenis, Ethica, de vitiis; nempe ut cui- tentur.

*Ad Cap. primum.*

**V**T sunt syllogismi quidam veri, ita quosdam esse falsos præfatur Aristoteles; qui nempe videntur esse, nec tamen sunt, ut in aliis rebus contingit: quosdam enim homines videmus reuerâ carnosos & pulchros: alios autem tumore aqueo pin- guedinem, & fuso pulchritudinem emen- tiri.

Definit Elenchum, syllogismum cum τι, ἔλε- contradictione conclusionis illius, quæ à χρ. respondentे posita est.

Et Elenchum quidem aliud esse ve- rum, aliud falsum: hunc sectari Sophi- stas, vel in vocabulis siue dictione, vel extra dictio- nem; ut videantur sapientes & docti, faciantque inde quaestum & lu- crum.

Sophistam enim eum esse, qui ex fucatâ τι, σοφ. sapientiâ quaestum captat, & mauult vide- τις, quām esse.

Sapientem cōtrà, cuius scilicet officium est veritatem sectari & defendere; & non tantum non mentiri, sed etiam aliorum mendacia declarare ac refellere.

*Ad Caput secundum.*

**P**onit argumentationum quatuor Ge- λόγοι δι- nera. Alias enim ait esse didascalicas δασκαλι- siue doctrinales, quæ scilicet concludunt κοι. ex propriis principiis scientiæ: Alias Diale- 24λεξ. eticas, quæ ex probabilibus: alias Pirasti- πικοι, πει- cas, siue tentatiwas, quæ ad tentandum & εργαποι. examinandum instituuntur: alias denique έργαποι. Eristicas siue litigiosas, quæ concludunt ex iis quæ videntur probabilia, nec tamen sunt: aut quæ videntur concludere, non tamen reuerâ concludunt. Et hoc quidem loeo agendum esse de litigiosis siue Sophis- tics.

*Ad Cap. tertium.*

**D**icitur esse quinque fines Sophista- ἔλεγχος, rum, nempe Elenchum, siue repre- λεῦδος, hensionem, Falsum, Incredibile, siue pa- αράξιδον, radoxum, Solocismum, & Nugationem ξον, σο- siue tautologiam. quia intendunt Sophi- λογιστæ deducere respondentem ad unum ex μόνοι istis finibus, vel ad plures.

*Ad Cap. quartum.*

**S**tatuit esse duos generales modos, siue λέξις, locos Elenchorum.

Vnum consistere in dictione, alterum in λέξεις, rebus, siue extra dictio- nem.

Fallacias dictio- nis esse sex, homony- ὄμωνυμια, amphibologiam, compositionem, a, ἀμφι-

βολογία, diuisionem, accentum, & figuram dictio-  
σιάθεσις, nis.

24. p-  
os, τορ-  
ωδία, &  
σχημα  
λέξεως.

## Ad Caput quintum.

**S**TATUIT, Sophismata, siue Paralogismos vel fallacias in rebus siue extra dictio-  
nem esse septem. Primam, accidentis, cùm  
ποτε τὸ putamus ea quæ insunt alicui subiecto, in-  
συμβολ-  
esse etiam accidentibus subiecti, vel con-  
γνosis. tra. Secundam, dicti simpliciter, vel se-  
το ἀ-  
cundū quid; vt, reddenda sunt arma do-  
πλωσ, ἡ mino, ergo reddenda domino furioso: non  
πηλέγα-  
sunt reddenda arma domino furioso: er-  
γο. go non sunt reddenda domino. Tertiam,  
ποτε Η ignorationis Elenchi, cum putamus ali-  
τρού εἰλε-  
quid repugnans thesi, conclusum esse ab  
κατ. αὐτῷ aduersario; cum tamen reuerā conclusum  
non sit: quæ deceptio contingit, ex eo quod  
ignoramus latenter fallaciam, siue Elen-  
χού. Quartam, consequentis; cùm vi-  
tio ēπον-  
detur antecedens concludi ex consequen-  
μην. te, sic, hoc est flauum, ergo hoc est mel:  
vel ex opposito antecedentis, oppositum  
consequentis, vt, hoc non est mel, ergo  
hoc non est flauum. Quintam petitionis  
εἰ αρχῆ principij, cum probatur idem per idem:  
λαμ-  
sed mutantur termini, vt, anima est im-  
mortalis: probo sic, quia anima non est  
morti obnoxia. Sextam, non causæ vt cau-  
σæ, cum scilicet accipitur pro causa rei, vel  
μην. conclusionis, id quod neutrius causa est, vt,  
ποτε, ως  
arma turbant pacem, ergo tollenda sunt.  
Septimam, interrogationis multiplicitis tan-  
τέρου,  
ποτε η  
quām vnius, cum scilicet multa interro-  
gantur, & datur una responsio, quia inter-  
rogationes multæ videntur una, cum non  
sint una, vt, Iustitia, crudelitas, virtutes,  
vitia, sunt ne honesta & laudabilia? an  
non?

## A Cap. sexto ad nonum.

**S**TATUIT, omnes fallacias Sophisticas re-  
ferri posse ad ignorationem Elenchi:  
quia Elenchus est verus syllogismus con-  
cludens: si ergo non concludit, non erit  
Syllogismus, nec Elenchus. Quisquis er-  
go intelligit Elenchum, facile videt nihil  
posse ex eo concludi. qui ignorat, facile  
omni genere fallaciæ decipitur. In homo-  
nymiâ quidem, quia vocabula nescit dis-  
tinguere; in compositione & diuisione,  
quia non nouit iungenda coniungere, se-  
iungenda sciungere. In aliis similiter.

Porro fieri Syllogismos, & Elenchos So-  
phisticos, in materia vel forma peccantes,  
ex iisdem è quibus fiunt apparentes & fu-  
cati syllogismi, referti autem omnes ad lo-  
cos fallaciarum suprà notatos.

Sophisticum Elenchum, non esse ve-  
rum Elenchum, nec verè ac meritò redar-

guere, sed apparenter tantum.

Demonstratum autem, verè redar-  
guere ex natura rei & per se.

Tentatum denique, redarguer igno-  
rantes, qui volunt docti videri, idque rectè  
& meritò.

Tot verò esse Elenchos veros & demon-  
stratiōes, quot sunt scientiæ & demon-  
strationes: & tot esse falsos, quot sunt  
veri.

Non omnes Elenchos, sed communes  
omnibus scientiis, pertinere ad Dialecti-  
cum.

Errare eos, qui diuidunt argumentatio-  
nes secundum nomen & sententiam: quia  
divisio hæc continet tantum homony-  
mias & amphibologias, & sententia ac no-  
men videntur cōdem recidere.

## Ad Caput undecimum.

**D**OCE, eum qui demonstrat, non pe-  
cere contradictionem, id est, utram-  
bi et propositionem concedi, vel negari; sed  
eum qui tentat. Tentaticem enim esse πειρατή-  
partem Dialeticæ: cum querat de omni-  
xii, 24.  
λεκτική-  
bus, tentando & examinando.

Dialecticum spectare communia; So-  
phistam videri tantum hoc facere.

Syllogismum sophisticum, aliud pe-  
ccare in formâ; aliud, in materia. Hunc  
differre à Pseudographo, quod Sophisti-  
cus in materia peccans, videatur confici ex  
iis quæ artis propria sunt, reuera tamen ex  
iis non conficiatur: Pseudographus autem,  
qui etiam dicitur Pseudographema, con-  
ficiatur ex propriis scientiæ principiis, sed δογμάτη-  
malè acceptis; vt, Omnes lineæ ductæ ab μα.  
codem puncto ad idem punctum sunt æ-  
quales, sed diameter & semicirculus sunt  
lineæ ductæ ab codem puncto ad idem  
punctum, ergo diameter & semicirculus  
sunt æquales: conclusio falsa est, quia ni-  
titur principio Geometrico malè accepto:  
debet enim distingui maior, si nempe li-  
neæ per eamdem viam ducantur, codém-  
que modo ab codem puncto ad idem  
punctum.

## A Capite duodecimo ad decimum quintum.

**V**IR Sophista ad falsum, vel parado-  
xum cogat respondentem, docet A-  
ristoteles debere Sophistam proponere pri-  
mo interrogations varias, nec certæ the-  
ses. Item obruere respondentem mul-  
titudine propositionum. Præterea fingere  
se adduci ad disputandum studio discendi.  
Debere etiam deducere ad ea contra quæ  
facilis argumentorum copia suppetit. In-  
super debere assumere paradoxæ eorum  
Philosophorum, quorum doctrinam res-

Artes se-  
phisticae.

pondens amplectitur. Debere etiam opponere naturam legi, & legem (humanam scilicet & positivam, ut eam quæ approbat seruitutes) naturæ.

Tunc verò Sophistam inducere ad nagationem, cùm cogit respondentem ad eiusdem vocabuli inanem repetitionem: quia pro eodem sumi persuadet nomen, vt duplum, & orationem, vt duplum dimidij, quæ tamen sunt distinguenda.

Sophistam etiam ad solœ cismum inducere, cùm ostendit leges Grammaticæ violari à respondentे.

*Ad Caput decimum sextum.*

**I**nstruitur Sophista, qui decepturus interrogare debet multa, prolixè, celeriter, acerbè, confusè. Item celare cōsilium; concludere ex non concessio, quasi concessio; vrgere necessitatē conclusionis, ac si necessariò colligeretur; opponere respondentem, eiusque authores sibi ipsis; distinguere interrogationem, ita tamen ut maneat vis Sophismatis; transire & euagari ad alia, si disputatio soluta fuerit, & non suppetant argumenta contra thesim.

*ACap. decimo-sextō, ad finem libri.*

*τει τῆς Σποκί-στης λύσιν.* **E**xponitur ars respondendi & soluendi Sophismata, quæ ex supradictis facilè colligi potest. Tunc enim soluitur sophisma, cùm ostenditur in quo consistat captio siue fallacia; putà, quia est homonymia, vel aliud vitium suprà explicatum. Quanquam non adeò facile est singulis fallaciis singulas distinctasque solutiones promptè adhibere.

Vt ergo Elenchus, alias verus est, alias falsus: Sic docet Aristoteles solutionem aliam esse veram, aliam fucatam. Et hanc quidem sufficere Sophistæ, qui nempe vult videri redarguere.

Veram solutionem maturè esse adhibendam per distinctionem.

Respondendum veræ propositioni, per, esto, siue, concedo: probabili, per, videtur.

In comparationibus similium, distinguenda esse dissimilia.

Soluendas esse rationes Sophistarum, priusquam proponantur, si videlicet eas præsentiscimus.

Vt verò sunt argumentationum vitia duo, in materiâ scilicet & formâ; vitium quidem materiæ, esse falsitatem propositionum: quæ falsitas negatione soluenda est, dicendo (nego;) formæ autem esse, quia non concludit argumentatio, nec ea syllogismi veram formam habet: quod vitium declarari debet, ostendendo argumentationem non esse in formâ.

Statuit ergo homonymiam & amphiboliā solui debere distinctione multiplicis significatus; qui in conclusione est, vel in propositionibus.

Compositionem & diuisionem, diuisione eorum quæ Sophista coniunxit, & conjunctione eorum quæ diuisit.

Accentum, distinguendo significaciones, quæ pro accentuum diversitate, in distinctionibus sunt differentes.

Figuram dictionis, distinctione Categoriarum. (Ex hoc loco colligitur Categories Logico esse necessarias.

Denique omnino esse contradicendum Sophistæ.

Deinde explicatur ratio soluendi alias fallacias, quæ sunt extra dictionem.

Solui enim fallaciam accidentis, dicendo non esse necesse id quod inest accidenti, inesse etiam subiecto: cum non sit utriusque necessaria connexio.

Dicti simpliciter & secundū quid, considerando conclusionem Sophistæ & thesim; diuersosque modos distinguendo.

Ignorantis elenchi, ostendendo non esse de eodem, vel non secundum idem.

Petitionis principij, negando assumptum.

Consequentis, dicendo, non valere argumentum à positione consequentis, ad positionem antecedentis; nec ab euersione antecedentis ad euersionem consequentis.

Non causę vt causæ, ostendendo ex concessione propositionis nō sequi absurdum, sed ex iis potius quæ à Sophista proponuntur.

Multiplicis interrogationis, tanquam vnius; adhibendo multas distinctasque responses, pro diuersitate interrogacionum.

Nugationis, negando, vocabulum scorso sumptum idem significare, quod coniunctum.

Solœcismi denique (quæ tamen fallacia, vt & nugatio, ad elenchos dictionis pertinent) dicendo aliter construi vocem in maiore, aliter in conclusione.

Porro vt Patalogismi quidam soluti sunt faciles ob manifestam falsitatem, quæ sola negatione refutatur; sic & alios difficiles esse & acutos, itavt respondentem dubitare faciant, & quasi mordendo in angustias redigant: sicque cum urgeant, vt nesciat quas propositiones, siue ex Dialecticæ sint, siue Sophisticæ, negare debeat, vel concedere. Hos igitur Patalogismos admonet esse diligenter & maturè expendendos, ne que contemnendos.

Vt verò solutiones nunc ad argumentationem pertinent, nunc ad interrogantem siue

sue disputatorem, nunc ad tempus: sic interrogations modò esse contra thesim, & eas esse optimas; modò contra respondentem, & eas esse minùs bonas; modò ad tempus, & has esse deterrimas; cùm scilicet disputator, ne vixtus videatur, replicando proponit quidpiam perplexum & inuolutum, quod non potest præfinito disputatio-  
nis tempore dissolui & explicari.

Concludit de Paralogismis & Methodo interrogandi ac respondendi, haec tenus satis esse dictum. Vbi se Methodi Dialecticæ auctorem & inuentorem disertè & ingenuè profitetur; petitque, vt si quid in ea fuerit prætermissum, ipsi venia concedatur; in-  
uentis verò à se multis præclarissimisque documentis gratia multa habeatur ac re-  
pendatur.

*Finis Elenchorum & totius organi Logici.*

*Synopsis Physiologie Aristotelis.*

**D**Octrina omnis quæ de Natura est, re-  
busque naturalibus, Physiologia  
*περὶ τῆς φύσεως*, quod est *natura*, η λόγου,  
quod est *sermo*, denominatur. Ea duplex,  
historica; ætiologica. Illa res naturales hi-  
storicè describit, ac populari stylo enarrat;  
neque earum causas & principia ad artius-  
sim atque scientificè, vt scholæ loquuntur,  
explicat: Hæc verò effecta demonstrat per  
causas, & principia, omniāque exquisitissi-  
ma methodo pertractat. Vtramque tan-  
ta diligentia, tamque incredibili inuentio-  
nis copia persecutus fuit Aristoteles, vt pro-  
fectò nihil ab eo, terra, mari, cœlo præter-  
missum fuisse videatur. Vnde licet diuina-  
rum rerum intelligentia à multis Plato-  
ne iudicetur inferior; in naturæ tamen ra-  
tione, omnium calculis, primas obtinuit.  
Hinc Aristotelem genium naturæ, dæmo-  
niumque posteritas indigetauit.

Huius ergo Physiologia omnis in de-  
cem fere partes est distributa. Prima, con-  
tinet libros octo, de naturali Auscultatione,  
in quibus principia, origines, causæ &  
communes proprietates corporis natura-  
lis, quod est obiectum ipsius Physicæ, ex-  
ponuntur. Est autem corpus naturale, to-  
tum quoddam substantiale, constans mate-  
riâ & formâ, aptum moueri & quiescere.  
Secunda, libros quatuor de cœlo; vbi de  
Mundo & quinque corporibus primis ac  
simplicibus, cœlo scilicet & quatuor elemé-  
tis, vt certum locum definitumque motum  
sibi vendicant. Tertia, duos de generatio-  
ne & corruptione, vbi de rerum ortu, in-  
teritu, alteratione, accretione, mixtione:  
Quarta, quatuor de Meteoris, mixtis ve  
imperfectis, quæ fiunt in sublimi, vt de co-  
metis, fulmine, nubibus. Quanquam quat-

*Tom. I.*

tus Meteororū, qui de qualitatibus primis  
est: carumque effectis ac viribus, ad lib. de  
Generat. fortassis referendus est. Quinta,  
tres de Anima. Et horum quidem libro-  
rum, quoniam præcipui sunt, explicatio-  
ne, contentæ videntur scholæ eorum qui  
hodie Philosophiam profitentur. Sexta  
(quæ est veluti appendix ad libros de Ani-  
ma) continet eos libellos qui vulgò dicun-  
tur parua Naturalia, scilicet de Sensu &  
Sensili vnum; de Memoria & Reminiscen-  
tia vnum; de Somno & Vigilia vnum; de  
Insomniis vnum; de Diuinatione per som-  
nium, vnum; de longitudine & breuitate  
vitæ, vnum; de iuuentute, senectute;  
vita, morte & respirations, vnum. Se-  
ptima, decem de historia animalium. O-  
ctaua, quatuor, de partibus animalium.  
Nona, quinque de generatione anima-  
lium. Decima, vnum de motione ani-  
malium; vnum de incessu, de spiritu v-  
num; de mirabilibus auditionibus vnum;  
de Physiognomonicis, vnum; de quæstio-  
nibus mechanicis, vnum; de lineis inseca-  
bilibus, vnum, cum Paraphrasi; si hi tres  
libelli, Physici dici possunt; de Audibili  
vnum; de coloribus vnum; de Xenocrate,  
Zenone, Gorgia, de Ventorum regioni-  
bus & nominibus. Quorum omnium li-  
brorum, sed ætiologicorum maximè & eo-  
rum qui Physiologiæ Peripateticæ sum-  
ma Theorematæ, doctrinamque recon-  
ditiorem continent, periochas, & argu-  
menta deinceps Deo dante perstringe-  
mus.

*Summa octo librorum Physice  
auscultationis.*

**P**rimus est de principiis. Secundus,  
de natura & causis. Tertius, de motu  
& infinito. Quartus, de loco, vacuo,  
tempore. Quintus, de differentiis mo-  
tus. Sextus, de partibus eiusdem. Se-  
ptimus, & Octauus, de motore primo. In-  
scribuntur omnes *τοις φυσικοῖς ἀρχαῖσσις*, *De natu-*  
*quia* vt intelligantur, requirunt seriam & rati-  
attentam auditionem viuæ vocis optimi tione,  
cuiusdam interpretis. Quanquam est &  
alia inscriptio, scilicet *τοις φύσεις*, de prin-  
cipiis.

*Liber primus Physicorum.*

**C**onstat Capitibus 9. in quartas par-  
tes redactis. Prima, est Proœmium:  
Secunda, est confutatio Parmenidis &  
Melissi: quos Metaphysicos vocant inter-  
pretes; quia eorum argumenta terminis

K

Metaphysicis, ut ente, uno, constabant. Tertia, est contra Physicos, Empedoclem & Anaxagoram; qui sese terminis Physicis continebant. Quarta, est ipsa doctrina de principiis, ex Aristotelis proprio sensu & mente explicata.

*Ad Caput Primum.*

**P**roemium est, Physicæ methodum designans, à principiis scilicet esse incipiendum. Quia ex eorum cognitione Scientia dependet: sed ita ut in exponendis principiis, initium sumatur à communioribus, & magis vniuersalibus; quia communiora sunt nobis notiora; cùm sint tota, & compositiora. Hinc enim pueri primò omnes viros patres vocant, communia appellatione: Deinde cùm perfectius cognoscunt, eos discernunt particularibus nominibus.

*Ad Cap. secundum.*

**O**rditur Aristoteles disputationem de principiis à principijs distinctione. Principium, inquit, vel unum est, vel plura; si unum, aut immobile, ut volvēre Parmenides & Melissus; aut mobile, ut Physici; quorum alij aquam; alij aërem constituerunt: si plura; vel finita, id est certo numero comprehensa; vel infinita, quæ vel eiusdem generis, figuræ autem diuersæ; ut Democritus infinitas ponens atomos ac multiformes; vel contraria. Sed de uno & immobili non est Physico disputandum: Hæc enim destruunt principia Physica, cum ratio vnius tollatrationem principij, quod est alicuius, vel aliquorum; immobile autem tollat motum, qui naturalibus omnibus corporibus, vel quibusdam conuenit; adeoque naturam, quæ est principium motus. At contra ne gantem principia non est disputandum. Fieri autem nequit ut omnia sint unum ens. Nam quodcumque ens sumatur, semper multiplicitas arguetur. ubi notat non dari accidentis sine subiecto. Partem diuersam esse à toto. Omnes partes simul, non differre à toto. Unum re siue subiecto, posse esse ratione multiplex.

*Ad Cap. tertium.*

**D**icit, rationes Parmenidis & Melissi peccare in materia, quia falsa assument: & in forma, quia non recte concludunt. Sic enim Melissus ratiocinatur. Quod factum est, principium habet; ergo quod factum non est, non habet principium. Sed vniuersum, siue id quod est, non est factum, ergo non habet principium,

atque adeo neque finem. Ergo infinitum. Ergo unum. Quia non sunt plura infinita. Ergo immobile, quia omnia occupat, & non habet à quo mouetur. Sed falsa est prima consequentia & Sophistica, quia ex opposito antecedentis, infert oppositum consequentis, quod non licet. at dato uno absurdō alia sequuntur. Falsum etiam ea quæ non habent principium temporis, esse infinita in magnitudine. Sed neque fieri potest ut omnia sint unum specie, putà homo & equus. Errat etiam Parmenides qui sic disputat: Quicquid est præter ens, est non ens, ergo nihil. Atens unum est, ergo quicquid est præter unum, est nihil, atque adeo omnia sunt unum. Cum enim ens dicatur multis modis, de substantia scilicet & accidentibus, perperam Parmenides ens uno sensu, seu vniuocè sumpsit. Vnde primum antecedens verum est, si ens sumatur pro substantia & accidentibus: sed tunc alterum, nempe quod ens sit unum, falsum. Sed & viciose concludit, quia seruata eadem concludendi formula in alia re, antecedens verum erit, & falsum consequens.

*Ad Cap. quartum.*

**D**obus modis Physici explicuere principia.

Quidam unum posuere principium materialē, quod esset vel lignis, vel aëris, vel aqua, vel quid medium: duo autem contraria vice formæ, vtraritatem & densitatem, defectum & exuperantium: Alij vero è per, ταχινίᾳ mixtione eōfusa quæ dicitur μίγμα, Chaos, οὐτιστικά omnia fieri, resque secretionē, συγχρίσει, γενοποιia produci dixerunt, ut Anaximander, Empedocles, Anaxagoras. Sed Anaxagoras infinitas pónit rerum etiam contrariarum materias in Chao; omniaque vult in omnibus esse; quæ Mens suprema, id est, Deus, proferat ac è Chao segreget. Nihil enim fit ex nihilo. Quod ergo fit, erat iam antea: alioqui è nihilo fieret, si ex non ente fieret. Sed & contraria videmus fieri ex contrariis, calida è frigidis, humida è siccis, ergo contraria in contrariis. Omnia in omnibus. Errasse tamen Anaxagoram docet, primò quia infinita statuens principia rerum naturalium, earum scientiam sustulit, quæ infinita principia complecti non potest. Secundò, quia non omnia sunt in omnibus. Neque enim quodlibet animal aut planta, sub quantilibet magnitudine aut paruitate esse possunt: sed res naturales præsertim viuentes, definitos habent suæ quantitatis limites. Sed neque quidvis è quouis segregatur: Nec quidquid fit, ex similaribus fit; aëris enim fit ex aqua. Lutum non ex luto, sed aqua & terra.

Denique satius est pauciora finitāque principia adstruere.

## Ad Caput quintum.

**S**tatuit principia rerum naturalium esse contraria, id est, opposita priuatione. Id enim non modo veteres tradidisse, sed & rationem demonstrare. Nam principia sunt, quae nec ex se mutuò, neque ex aliis, sed ex ipsis omnia: at prima contraria sunt eiusmodi: Quia enim prima, ex aliis non sunt: quia contraria, non ex se mutuò. Intellige tanquam è partibus componentibus. Vnum enim contrariorum non componit alterum. Alioqui fiunt ex se inuicem contraria, tanquam ex terminis à quibus. Homo ex non homine, album è non albo. Neque enim quoduis agit in quoduis: Patitur à quois: Fit è quois: Corrumperit in quoduis. Sed agit quoduis in contrarium; patitur à contrario: fit è contrario; corrumperit in contrarium.

## Ad Cap. sextum:

**P**rincipia si contraria sunt, ut sunt, nescire est, inquit, esse plura: Non sunt enim contraria vnum. At qui non sunt infinita. Primo, quia res naturales non possent scientia comprehendendi. Secundo, in omni genere est vna prima contrarietas duobus extremis clausa: at contrarietas principiorum est in genere substantiae prima, ergo finita & duobus contrariis extremis clausa. Erunt ergo duo contraria principia: præter quæ statuendum commune subiectum, quod sit tertium principium, & vicissim contraria sustineat; ipsum verò substet atque permaneat, neque contrariorum alterutri aduersetur. Neque enim oportet omnia principia esse contraria: cum è principiis componantur substantiae omnes naturales, quæ è non substantiis componi non possunt.

## Ad Caput septimum.

**T**ria ergo sunt principia; duo contraria, privatio scilicet & forma, & vnum commune subiectum, quod est materia. Quæ certè in omni mutatione tam substantiali quam accidentalí, tam naturali quam artificiosa, manifestè deprehenditur: fit enim planta è sernine; calidum lignum è frigido ligno: ex ære statua. Sed eius essentia cognoscitur per materiam artis. Ut enim æs se habet ad statuam, aut figuram statuæ: sic materia ad formam. Ex utraque constant omnia corpora Physica, ut ex principiis componentibus ac per se. Ex priuatione autem nihil constat nisi per accidens;

quatenus ea materiae accidit: licet generatio per se priuationem inuoluat.

## Ad Caput octauum.

**N**ihil generari, nihil corrumpi dixerūt quidam, hoc adducti argumento: Si quid fit, vel ex ente fit, vel ex non ente, at neutro modo fit quidquam: Non primo, quia iam est: Non secundo, quia fieret ex nihilo. Sed male. Quia res fiunt ex ente potestate, id est, ex materia prima; non verò ex ente actu; item ex non ente actu, non tamen ex non ente potestate, quod solum est merum nihil. Nam materia prima est non ens actu.

## Ad Caput nonum:

**M**ateria à priuatione differt, quod hæc sit non ens per se, illa per accidentem, ut scilicet priuatione affecta est. Præterea materia ad substantiam accedit: & permanet in compositis cum forma, ut eorum causa & mater. Formam enim ut diuinum & bonum quid appetit materia, sicut feminina marem, turpe pulchrum, at priuatione non appetit formam, cum ei sit contraria. Non generatur, non corrumpitur materia, sed ex ea omnia fiunt, in eam desinunt. Est enim materia primum rei cuiusque subiectum, è quo insito aliquid fit, non per accidens; & in quod si quid corrumpitur, ultimum abit. De formali autem principio generatim dicere, est primæ Philosophiæ. De formis naturalibus & caducis deinceps.

## Liber secundus.

**C**onstat Capitibus 9. in duas partes redactis. Prior est de Natura, & discrimine Physici à Mathematico: Posterior de causis.

## Ad Cap. primum.

**E**ntium alia constant natura, ut plantæ, elementa, alia aliis causis: illa insitum habent principium sui motus, hæc minime. Quasi Natura sit principium quoddam & causa motus & quietis eius rei in qua est, primo, per se, & non per accidentem. Naturam habent substantiae naturales materia & forma constantes. Secundum naturam sunt quæ vulgo vocantur proprietates naturales. Natura duplex, materia, & forma; sed hæc magis, quia est actu.

## Ad Caput secundum.

**P**hysicus, Geometra, Astrologus in iisdem versantur: magnitudinibus scilicet, solidis, punctis, figuris; sed diuerso modo. Physicus enim hæc contemplatur, ut sunt termini & affectiones corporū naturalium, atque ut sunt in materia: Mathematicus autem abstrahit à materia. Physici est, materiam & formam simul contemplari, quia utriusque cognitio est eiusdem artis, ut patet in Medicina & Architectura. Ars vero naturam imitatur. Sed & finis ac mediorum eadem est scientia: materia autem est ad formam, ut ad finem. Non quodvis ultimum finis, sed optimum. Sumus nos omnium finis, quia omnibus utimur. Cognoscit materiam Ars quæ ea vtitur, & quæ præst; Architectonica. Sol & homo generant hominem ex materia.

## Ad Cap. tertium:

**C**ausarum genera quatuor. Materia, ex qua res fit eo pacto ut insit, ut & statuæ. Forma atque exemplar sive idea, quæ est ratio essentiæ. Efficiens, vnde primum principium mutationis aut quietis: ut consultor, pater. Finis, id cuius gratia: ut sanitas, deambulationis. Vnius effectus sunt plures causæ per se. Causæ sunt sibi inuicem causæ. Idem, causa esse potest contrariorum. Causa vel proxima, vel remota: per se, vel per accidens: actu vel potentiam; particularis, vel vniuersalis. Causa actu est cum effectu: non causa in potentiam. In causarum investigatione ad ultimam progreди oportet. Effectuum particularium causæ particulares reddendæ. Vniuersalium vniuersales, & ita in cæteris.

## A Capite quarto, ad septimum:

**F**ortuna & casus causæ sunt multorum effectuum, licet id negent quidam, aucto- dantes omnium esse definitam causam: qui- mator. bus resistunt alij, omnia fortunæ subii- cientes, adeoque ipsum cœlum. Sed hi errant, quia animalia & plantæ certas cau- fas sui ortus habent: cœlum vero, diuinissi- máque sensibilium eodem semper tenore, constantissime perseverant. Deam alij Fortunam faciunt sed hominibus incognitam. Non est fortuna in iis quæ per se, semper, eodem modo fiunt, aut plerumque; sed quæ raro eueniunt & per accidens, & præter intentionem. Est enim casus & fortuna in iis quæ alicuius gratiâ fiunt, sive ea fiant consilio, sive naturâ. Fortuna igitur est causa per accidens in iis quæ per electionem

alicuius gratiâ fiunt. Casus autem latius patet: quia quod à fortunâ est: à casu etiam est, non contrâ: cùm sit casus causa per accidens in iis quæ alicuius gratiâ fiunt. Quamquam si pressè sumatur casus, in iis erit tan- tū quæ sine consilio fiunt. Fortuna ergo in humanis. Casus in aliis quibuslibet sine consilio agentibus. Vtraque autem causa ad efficientem referenda.

## Ad Caput septimum.

**T**ot genera causarum statuenda quo- sunt quæstiones: at hæ sunt 4. ex quo, & est materia; per quid, & est forma; à quo, & est efficiens; cuius gratiâ, & est finis. Hæ omnia perquirit Physicus. Vnde per omnia causarum genera demonstrat.

## Ad Caput octauum.

**N**atura agit propter finem. Et alicuius gratia, non temere nec casu. Quia quæ fiunt à natura, eodem semper modo aut frequenter fiunt. Aranæ, formicæ, hirundines, sine consilio & solo impetu na- turæ telas texunt & nidos. Imo & stirpes folia emittunt ad fructus regendos, & ra- dices deorsum agunt non sursum, alimenti causa, quod è terra exugunt. Ad hæc ma- teria, quæ natura est, tendit ad formam, quæ est illius finis: est igitur natura alicuius gratia: licet interdum suo fine frustretur, ut in monstris, quæ tamen non intendit. Neque enim monstra producit natura nisi impedita: ideo dicuntur peccata naturæ: Nec si natura non deliberet, hinc sequitur non agere ob finem: Arsenium non delibe- rat, saltem semper. Nec tamen Ars desi- nit operari propter finem: Perficit vero Ars ea quæ natura nequit perficere; licet quædam imitetur: Quod si Ars alicuius gratia agit; quidni & Natura?

## Ad Cap. nonum.

**N**ecessitas duplex: Absoluta, quæ est à materia: Sic absolute necessum est serram esse duram, quia est ferrea; Hypothetica, quæ à fine vel forma supposita: Sic necesse est serram esse duram, quia ad se- condum est comparata: Vtraque necessitas in rebus Physicis est, licet veteres solam ab- solutam ex materia amplexi fuerint: imo necessitas simpliciter in naturalibus, non ex materia, sed ex suppositione est, sive fine, quia forma quæ finis est materiæ & genera- tionis, est causa materiæ, cum hæc sit propter illam, non contra: Vnde finis & forma præcipuae sunt considerationis in Phy- sica, licet non sit negligenda materia: Sed

Physicus artifexque omnis à forma & fine  
suas ducunt definitiones.

## *Liber tertius Physicorum.*

**H**abet Capita VIII. partes II. Prior  
est de motu , in tribus primis capiti-  
bus: Posterior, de infinito in reliquis.

A Cap. primo ad quartum.

**I**gnorato motu, ignorari & naturam  
necessitatem est: cum hec sit illius principium.  
Sed motus est de genere continuorum, cō-  
tinuum autem est diuisibile in infinitum:  
De infinito igitur dicendum, ut & de loco,  
vacuo, tempore, sine quibus motus non est,  
& quæ omnibus sunt communia. De com-  
munibus autem primò dicendum, entia a-  
lia actu, alia potentia & actu. Horum aliud  
est hoc aliquid siue I. substantia, aliud tan-  
tum, tale, &c. Motuum & mobile sunt  
ad aliquid. Motus mutatio-ve omnis in  
substantia est, vel quantitate, qualitate, lo-  
co. Quot species entis, tot & motus. Esti-  
gitur Motus, actus entis in potentia, ut est  
tale. Sic alteratio est actus alterabilis, ut  
est alterabile. Neque absurdum est idem  
esse simul actu & potentia, respectu diuer-  
sorum: res enim quæ mouentur, putà aqua  
quæ calefit, est actu, quatenus aliquid ca-  
loris acquisiuit: est verò in potentia, qua-  
tenus potest plus caloris acquirere, & ad  
ipsum tendit, quo nondum affecta est, sic  
ergo motus actum & potentiam simul in-  
uoluit: alioqui res quæ tantum in potentia  
est, non dicitur moueri, ut & quæ tantum  
est in actu. Mouetur verò omne mouens  
Physicum, quod est potentia mobile, & cu-  
ius immobilitas quies est. Ut enim agit in  
hoc, mouet; at hoc facit per contactum,  
ergo patitur: est igitur motus actus mobilis,  
ut mobile est: semper autem quod mouet,  
formam affert. In mobili ergo est motus à  
motu. Sed utriusque actus est motus, qui  
respectu mobilis passio, respectu mouen-  
tis, actio est. Actio autem & passio unus est  
re ipsa actus, sed ratione multiplex. Ut via  
de vrbe Atheniensi ad urbem Thebas, &  
Thebana ad Atheniensium eadem est re,  
ratione diuersa, ob diuersitatem termino-  
rum.

*Ad Caput quartum,  
Æsi Æneipou.*

**P**hysici est agere de infinito , propter motum , magnitudinem , tempus , in quibus est ; & quia veteres de eo egerunt , ipsumque principium fecere . Ut I ythagorei parem numerum , Platonici magnum

Tom. I.

& paruum, qui etiam in Ideis infinitatem ponebant. Democritus & Anaxagoras atomos infinitas, hic in homoiometria, partium-ve similaritate; ille in corpusculorum panspermia figuris differentium. Alij infinitum sic esse principium statuebant, ut esset ingenitum, incorruptibile, omnia continens & gubernans, diuinum, immortale numen. Dari infinitum probat tempus principio & fine carens; magnitudo, infinitè diuidua; generationes & corruptiones perpetuae; mens infinitum cogitans; Spatum infinitum extra cœlos: quod quidem si potest infinitum corpus complecti, illud actu continebit. Nam in perpetuis & sempiternis idem est esse ac posse. Sed ponatur, non ponatur infinitum; utrimeque difficultas est Physico decidenda. Dicitur ergo infinitum: Primò, quod non potest pertransiri, quia ad hoc aptum non est; sic vox est inuisibilis. Secundò, quod pertransiri aptum est, sed sine fine, ut si esset infinitus locus. Tertiò, quod vix. Quartò, quod aptum est terminum aut finem habere, sed non habet actu, ut circulus. Quintò, quod potest infinitè augeri, ut numerus: aut semper ditidi ut magnitudo.

*A Cap. quinto ad octauum.*

**N**on datur infinitum secundo modo, à sensibilibus separatum: esset enim vel substantia, & sic esset indivisibile, quod repugnat infinito; vel accidens & sic non esset principium, sed id potius cui inesset: Secundò separata à sensibilibus magnitudinem non habent, nec numerum, ex illius diuisione consurgentem, in quibus solis infinitum est. Nullum datur corpus sensibile infinitum. omne enim corpus est superficie terminatum: nec numerus, quia omnis est numerabilis, adeoque transiri potest & percurri: At infinitum non pertransitur. Præterea nullum corpus simplex, aut mixtum infinitum est, elementa enim certo numero & loco sunt comprehensa: Mixta verò ex elementis finitis constant: Non datur ego infinitum actu & Categorematicè; sed datur infinitum potentia, quale est infinitum additione, ut numerus qui infinitè augeri potest: & infinitum diuisione, ut magnitudo, quæ semper diuidi potest; cum non detur ultima pars: & infinitum in tempore, ac successione continua generationum. Interim veteres male definierunt infinitum, extra quod accipere nihil est: Sic enim uniuersum esset infinitum, quia extra illud nihil restat accipere. Rectius dixissent esse id cuius aliquid extra semper est. Nam infinito, additione restat semper pars addenda;

diuisione, adimenda: Obscurum est infinitum & materiae primae simile. Non tolluntur Hypotheses aut Theorematata Mathematicorum sublato infinito actu; quia licet lincas infinitas produci iubeant, hoc tamen sola cogitatione faciunt.

*Liber quartus Physicorum.*

**C** Apita habet 14. partes tres. Prima est de loco. Secunda, de vacuo: Tertia, de tempore.

*A Cap. primo ad sextum;*  
*τετρατον.*

**D**E loco agere Physici est, quia res naturales sunt in loco, & motus fit in illo: Locum esse, probat motus localis corporum; licet non esse quidam malè concludant: locus enim vel est communis, qui plura corpora continet; vel proprius, qui unicum. Locus nec forma est, nec materia: Quia hæc à re sua non separantur; locus verò separatur à locato, ut vas ab aqua: Octo modis vnum est in altero: ut Pars in toto: Totum in partibus: Species in genere: Genus in specie: Accidens in subiecto, siue Forma in materia: Gubernatum in gubernante: Effectum in fine: Propriissime, ut in vase, & omnino in loco: Nihil autem in seipso est primò per se, & secundùm se totum, licet secundum partem & per aliud possit. Loc i proprietates sunt, continere locatum. A locato omnino & re ipsa differre. Äqualem esse locato, à locato esse separabilem. Locum & locatum esse simul. Esse deorsum, vel sursum. Corpus omne physicum fertur natura in proprium locum, & in eo manet. Locus est superficies siue extremitas corporis continentis, immobilis, prima. In loco autem ea sunt, quæ ab alio corpore continentur. Quæ verò suprà vel extra se aliud corpus non habent, propriè non sunt in loco, ut cœlum, & vniuersum. Quiuscunq; corpora in locis naturalibus: quia ad ea tendunt, ut pars auulsa ad suum totum, ut pars aquæ ad aquam.

*A Cap. sexto, ad decimum;*  
*τετρατον.*

**D**E vacuo, Physici est agere, ut & de loco, cum quidam vacuum & locum procedem sumpserint. Credidit Anaxagoras vacuum non esse. Quia quod maximè videtur vulgo vacuum, ut vtrès inflati, non est vacuum: nam vtrés inflati, pleni sunt aëre. Sed non soluit problema. Probat enim tantum aërem esse aliquid. At

non demonstrat non esse vacuum insertum corporibus, vt putauere Democritus & Leucippus, aut non esse vacuum extra cœlum. Esse vacuum, videtur probare motus localis corporum: nisi enim moueantur in vacuo, duo corpora simul erunt, quod impossibile. Item vas cineribus plenum, tantumdem aquæ recipit, quantum idem vacuum. Malè definierunt veteres vacuum id in quo nihil est, aut in quo nullum graue est, aut leue. Nam alioqui punctum esset vacuum, in quo scilicet nihil est. Malè etiam, in quo non est hoc aliquid, neque corporeæ vlla substantia: etenim materia esset vacuum. Non est verò necessarium ob motum localem dari vacuum, quia corpora sibi mutuò cedunt. Recipit autem vas cineribus plenum tantumdem aquæ, vel circiter; quia densantur premunturque cineres tenuioribus particulis compressione explosis, vnde minorem locum cineres occupant, & datur locus aquæ. Rectè dicitur vacuum, locus corpore priuatus. Sed tale vacuum non datur in rerum natura. Eo enim posito tollitur motus, cum in vacuo neque sursum sit, neque deorsum; nec ratio sit cur potius in hanc quam illam partem fiat motus; vel ibi potius quam hic quies statuatur. Quæ ratio manifestè probat non dari vacuum, ut separatum spatiū, & dimensionem. Cui addenda penetrationis impossibilitas, quæ consequetur, si vacuum illud esset tria dimensio, quam corpora penetrarent. Sed neque vacuum corporibus insertum admittendum est, licet alia rara, alia densa. Eset enim tale vacuum ob motum; ut volunt eius assertores, at hoc falsum. Cum enim dicant, vacuum esse raritatis & levitatis causam; quæ dumtaxat sursum ferunt; vacuum illud admittent ob motum leuum tantum, quod absurdum; si enim concedunt grauia moveri deorsum natura, non propter insertum vacuum; cur non pari modo levia & rara sursum moueri dicent natura, & sine fictio illo vacuo? Accedit porro raritas & densitas materiæ absque ullius rei nouæ additione, aut decessione: atque ut leue & molle sequuntur rarum; sic graue & durum, densum. Licet non semper quo quid durius est, eo sit grauus. Ferrum enim durius est plumbo; nec tamen grauus.

*A Cap. decimo, ad finem libri.*

*τετρατον.*

**D**E tempore querendum, An sit, & quid? Non esse videtur: quia eius partes non sunt; præteritum enim non est actu, nec futurum. Sed nec dici potest, tempus esse ratione præsentis momenti: quia momentum non est pars temporis, neque tā-

pus constat momentis siue instantibus ut partibus, sed ut terminis. Dixerunt quidam tempus esse conuersione siue motum cœli. Alij esse ipsum cœlum. Sed falsò. Nam tempus non desinit esse die & nocte, licet conuersio siue motus non sit absolutus: sed & motus sunt plures & diuersi, ut & cœli multi: at tempus est vnum & idem ubique. Denique motus velocior vel tardior dicitur, non tempus: & ille tempore definitur. Nam motus velox est quo mobile paucum tempore multum spatiū conficit: tardus contraria. Quis verò dicat tempus tempore definiti? Ergo tempus non est motus siue mutatione. Non est tamen sine motu. Cùm non percepto motu, tempus non percipiamus: Ut dormiendo. Vnde tempus est aliquid motus. Vtrumque autem continuum est, ut & magnitudo. Sed continuitas primo competit magnitudini, deinde motui, tertio tempori; quare ut prius & posterius est in magnitudine; sic & in motu: licet in illa permanenter, in hoc successuē. Est ergo Tempus, Numerus motus secundum prius & posterius. Tunc enim tempus cognoscimus, cùm apprehensa priore & posteriore motus parte, motum ipsum distinguimus, inter priorem & posteriorem partem medium quid apprehendentes, quod finis sit prioris, & initium posterioris. Cùm verò numerus sit, vel numerans, ut binarius; vel numeratus, ut duo lapides, siue res numeratae; hincque vel sit in rebus actu disiunctis; vel in continuatis, solaque cogitatione discretis; Tempus est numerus numeratus posteriore modo: nempe partes motus re ipsa continuæ & sibi succedentes, prout tamen à mente numerante discernuntur, & quo ad durationem sunt definitæ. Partes temporis copulat momentum siue instans, ut punctum pates lineæ; sed hoc manet, ab illud. In tempore ut numerus est, datur minimum, nempe binarius; ut verò est continuum, non: quia continua magnitudo non habet minimum, cùm sit infinitè diuidua. Dicitur tempus multum, paucum, ut est numerus, longum & breve, ut continuum. Tempus partim idem, nempe ut est communis duratio rerum mobilium; partim diuersum, ratione prioris & posterioris. Ut idem redit motus; sic & tempus. Tempus & motus se mutuò metiuntur. Sic ex peracto pulueris trajectu in horologio arenario, horam fluxisse cognoscimus. Res esse in tempore est eas mensurari tempore. Tempus dicitur causa corruptionis & obliuionis potius quam ortus & scientiæ: quia est numerus motus, motus autem res immutat, inuertit, ad interitum vocat. Vnde æterna non subiacent tempori. Est etiam tempus mensura quietis, ut motus: quia eadem est mensura habitus & priuationis.

Tom. I.

Nunc aliquando, iam nuper, olim, subito, ad uerbia sunt diuersi temporis. Simonides ἡδο, αρπ, vocauit tempus σωφάτατο, sapientissimum, παναγι, εξ quod eo sapientes fiant homines; Paro, insipientissimum, άμαθέστατο, quia eo omnia abolentur, & rerum memoria intercidit. Fit omnis motus mutatione in tempore: quia in omni motu velocitas tarditatem insunt, quæ tempore definitur. Tempus ergo in cœlo, terra, mare, aliisque sensibilibus est: quia haec mobilia sunt. Sed cum tempus sit numerus numeratus, talis vero numerus non sit sine numerante, si id quod numerat tempus & distinguit, tollatur, nempe anima siue mens, non erit tempus. Quatenus scilicet tempus est numerus numeratus. Temporum primum & aliorum mensura, est illud quod motum primum maximèque æquabilem, ut est motus primæ sphæræ, numeratur; quia primum in unoquoque genere γενεῖ. est mensura cæterorum.

Res humanæ & mortales circulus sunt, τον μέτρα quia tempori subiectæ; quod circulus dicitur, quia est mensura latitudinis circularis, & πορτος primi illius motus. Idem est omnium temporum; quoad numerum; non quoad res.

### Liber quintus Physicorum.

**H**abet capita 6. partes tres. Prima, est de generibus motus. Secunda, de unitate & diuersitate. Tertia, de contrarietate eiusdem.

#### Ad Caput primum.

**T**ribus modis res mouentur & mouentur, mutantur & mutant. Per accidens, ratione partis; per se. In omni motu sunt quinque; mouens, mobile, tempus, terminus à quo, terminus ad quem. Denominatur mutatione à termino ad quem. Fit omnis mutatione ex uno in aliud, vel inter terminos positivos, vel negatiuos; vel terminum à quo negatiuum, & ad quem posituum; vel à quo posituum ad quem negatiuum. Dicitur verò in textu terminus positius subiectum, negatius non subiectum. Sed mutatione nulla inter negatiuos: restant ergo tres modi: quorum is qui fit inter positivos, puta calidum & frigidum, constituit motum: qui verò inter à quo negatiuum, & ad quem posituum, generationem; qui denique inter à quo posituum, & ad quem negatiuum, corruptionem. Generatio alia propriè & simpliciter, quâ fit substantia, ut homo: alia secundum quid, quâ accidens, ut album. Corruptio itidem. Generatio substantialis & corruptio, motus non sunt, quia quæ generantur non sunt, nec in loco sunt; at quæ non sunt, nec in loco sunt; non mouentur.

I

K. iij

## Ad Caput secundum.

**M**otus triplex, iuxta tres Categorias ad quas motus esse potest: quantitatem scilicet, ad quam spectant Accretio, & Decretio; Qualitatem, ad quam Alteratio; & locum siue ubi, ad quod latio, siue motus localis. Neque enim datur motus ad substantiam: quia motus est à contrario in contrarium: Substantiae autem nihil est contrarium: neque ad relationem; quia non inducit mutationem: neque ad motum ipsum, mutationemve: daretur enim motus, & mutatio mutationis, & generationis generatio. Immobile dicitur, vel quod non potest omnino moueri; vel quod tardissime: vel quod non mouetur, quando, ubi, & quomodo moueri aptum est. Et hoc tertium quiescere dicitur: quies enim est motus in corpore, quando, ubi, & quomodo moueri natum est, priuatio.

## Ad Cap. tertium.

**S**imilea sunt loco, quae uno in loco sunt primò. Seorsim, quae diuerso. Tangunt aperte, se ea quorum extrema sunt simul. Intermetatim, ad quod mobile deducitur, antequā ad ultimum veniat. Continenter moueri dicitur, cuius motus non est interruptus. Contraria loco sunt, quae multum distant in recta linea. Deinceps sequentia sunt, inter quae nihil est eiusdem generis. Cohærentia sunt quae cum deinceps sequantur, tangunt. Continua sunt, ut cohærentia: sed quorum extrema sunt vnum. Vnitas differt à puncto, quod punctum tangat lineam, & inter duo puncta sit linea: vnitas autem nihil tangat: & inter eam & alteram nihil sit medium.

## Ad Cap. quartum.

**M**otus unus est genere, specie, numero. Genere, qui ad unum idemque genus summum siue Categoriam tendit. Sic accretio & decretio sunt unus motus genere; quia sunt circa quantitatem. Specie qui ad eandem specie formam tendit, ut duæ dealbationes, ad albedinem. Specie vero diuersus, qui ad diuersas specie formas, ut dealbatio, denigratio. Unus numero, qui absolute & substantia unus est. Et hic requirit unum mobile numero, unam numero formam siue terminum ad quem, & unum numero tempus. Omnis motus unus, continuus etiam est, & contrà. Non potest autem esse continuus, nisi idem sit motus, mobile idem, & tempus minimè interruptrum. Motus æquabilis & uniformis, unus est. Inæquabilis motus duæ sunt cau-

sæ, spatum inæquabile, & tortuosum: & mouendi ratio inæqualis. Velocitas & tarditas non sunt differentiae motus aut eius speciei; quia omni motui conueniunt.

## Ad Caput quintum.

**I**l motus propriè contrarij sunt, qui è terminis contrariis tendunt ad contrarios: vt ægrotatio, vt sanatio, moueri sursum, & moueri deorsum, scire & errare. Quod si non ex aliquo præeunte contrario, putè ex non nigro, quidpiam album fieret, mutatio esset, non motus. Sunt verò contrariæ mutationes, quarum termini sic se habent; vt terminus à quo unius, sic terminus ad quem alterius. Hocenim modo contrariatur generatio & corruptio. In contrariis medium habentibus, motus qui fiunt è contrario in medium, & è medio in contrariū, sunt quodammodo contrarij: quia medium ad utrumlibet extremum collatum, induit rationem contrarij. Ut φαὶρ, fuscum, cum albo & nigro.

## Ad Caput sextum.

**M**otus motui contrariè opponitur, quies motui, priuatiuè. Non quilibet quies cuilibet motui opponitur: sed quies in eodem genere, in quo est motus. Quies enim in loco non opponitur calefactioni, sed motui ad eum locum. Motus nō aduersatur quieti in termino ad quem, sed quieti in termino à quo: quia motus relinquit terminum à quo, vt ignis sursum tendens, terram; & ferrum ad terminum ad quem putè sursum, ubi quietem optat, ut in loco naturali; at nihil tendit in contrarium. Quietes verò in locis contrariis contrariæ sunt, ut & motus ad illas. Ut motus alias naturalis, alias violentus: ignis enim sursù auolat naturali motu, deorsum truditur, violento: sic Generatio & Corruptio, Accretio & Decretio, alias naturales, siue, ut loquitur, εἰμια γένεσις, fatales, quae scilicet naturæ lege fiunt, ut cùm res statu tempore oriuntur, crescunt, decrescent, intereunt: *Cίατοι, πάφιση.* aliæ violentæ, quæ præter naturam continentur & fiunt vi, ut accretiones præmaturæ ex nimio cibo & deliciis, quibus urgetur natura. Sed & alterationes violentæ & naturales in ægris cernuntur manifestè: cùm enim liberantur ἀπό τούτων οὐκέπαις, in diebus criticis, ut 7. 14. naturalis est alteratio, quia fit à natura: cùm verò diebus non criticis, violenta est; quia non fit lege naturæ & tempore consueto ac debito. In motu autem naturali & violento manifesta est contrarietas.

*Liber sextus Physicorum.*

**H**abet Capita X. in quibus agitur de continuo, magnitudine, motu, tempore, finito, infinito, diuisibili, indiuisibili. Summa eorum omnium sequentibus continetur documentis.

*Ad Caput primum.*

**N**Vllum continuum constat indiuisibilis. Linea enim, quæ prima est magnitudo, non constat punctis; motus non constat mutatis esse: tempus non componitur momentis sive instantibus. Nam si linea constaret punctis; vel puncta essent continua, vel contigua; quorum utrumque falso: quia continua sunt, quorum extrema sunt vnum; contigua, quorum extrema sunt simul; at puncta carent extremis, nec partes habent. vel certè se deinceps sequentur, at hoc etiam falso; quia ea se deinceps sequuntur, inter quæ nihil eiusdem generis est: sed inter quælibet duo puncta interierat linea, quæ adhuc puncta habet. præterea constat vnum quodque ex iis in quæ diuiditur: at omne continuum diuiditur in partes diuisibiles in infinitum, vt linea in lineas minores & minores. Sunt verò ciudæ rationis, & reciprocantur inter se magnitudo, motus, & tempus: quare si magnitudo non constat indiuisibilibus, neque iisdem motus tempusve constabunt: tanquam partibus, supple, constat enim continuum in diuisibilibus, tanquam terminis & copulis. Ergo mobile velocius, æquali tempore maius spatium transibit. Idem in minori tempore percurret spatium æquale ei, quod tardius in maiori decurrit. Item velocius in minori tempore, spatium maius conficit, quam tardius in maiori. Magnitudo autem infinita actu, tempore finito percurri non potest. Et contrà, quia hæc sibi respondent, vt & motus. Quare nullus motus fieri in instanti, sed in tempore; quia ipsum instans, quod est finis præteriti, & initium futuri, est indiuisibile. Non fieri etiam quies in momento, quia quiescere dicitur id, quod cum aptum est moueri non mouetur. Omne quod mouetur, diuisibile est: quia partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, in utroque imperfectè. Ergo nullum indiuisibile mouetur, nisi per aliud. Diuiditur motus iuxta diuisionem temporis & mobilis. Mobile, spatium, motus, terminus ad quem, moueri, & tempus, eadem ratione diuiduntur. Mobile autem primò diuiduum est, cætera per ipsum: sed maximè qualitates, quæ motu acquiruntur: cæ enim non per se, sed per mobile

diuisibles sunt.

Quidquid mutatur, cùm primum mutatum est, in termino est, id est, in eo in quod mutatum est, & quod tendebat. Nam quod mutatur, relinquit statum sive formam in quâ erat, & assumit eam ad quam tendit: quantumque abiicit de termino à quo, tantum acquirit de termino ad quem. Sed id in quo primo mutatum est quod mutatum est, planè est indiuisibile: diciturque mutatum esse, & respondet instanti temporis. Non datur mutatum esse in principio, sed in fine motus: nihil enim mutatum esse dicitur, nisi motus antecesserit. Quod in certo tempore primò mutatur in qualibet parte illius temporis necessariò mutatur. Fini- cap. 5. tum spatium tempore infinito non pertransitur: nisi spatium identidem repetatur, vt sit in motu cœli. Nihil etiam quiescit tempore infinito, Res finita infinitam magnitudinem, infinita finitam magnitudinem finito tempore pertransire non potest, neque in eâ itidem quiescere. Nullus motus infinitus esse potest tempore finito.

Omne stans, id est, quicquid mouetur, ad statum sive quietem necesse est moueri: Quidquid stat in tempore stat. Stare enim cap. 6. est moueri ad quietem, mouetur autem nihil nisi in tempore. Non datur prima pars quietis, vt neque temporis. Quies est in tempore: eadem enim motus & quietis est mensura.

Confutauit olim simulque derisit Zenonem motum absurdissimè negantem, Diogenes Cynicus; qui auditis Zenonis rationibus, surrexit in scholâ, nec aliter quam coram ambulando respondit, vt ait Simplicius com. 53. in 6. Physic. Sed prudentius Aristoteles, qui ne indictâ cauâ Zenonem damnet, eius rationes affert & diluit. Si datur motus, inquit Zeno, fiatque in magnitudine; certè finito tempore infinitum cōficietur; quia in omni magnitudine sunt infinitæ partes. At consequens falso. Ergo non datur motus. Respondet Aristot. Infinitum potestare, vt est magnitudo omnis, posse finito tempore percurri: præsertim cum tempus sit eodem modo infinitum, ac magnitudo. Alia ratio, quam vocabat Zeno Achillem, quia sibi fortissima videbatur, est hæc:

Si datur motus, sequitur, id quod velociissimum est, vt erat Achilles, nunquam posse cursu assequi tardissimum, vt est testudo. Hoc falso & ridiculum, ergo illud. Probatur sequela maioris. Nam si Achilles decuplo celerius currat, quam testudo, & cum eam incipit insestari, uno ab ea stadio distet; interim dum stadium decurrit ille, hæc decimam alterius stadij partem conficit: cuius decimæ partis metam priusquam pertingat Achilles; adhuc testudo aliam de-

cimam decimæ illius portionis pertransibit, atque ita pari proportione in infinitum. Quare nunquam Achilles, licet pernicissimus, tardigradam testitudinem & dominportam comprehendet. Hanc rationem candem esse cum priori ait Aristot. quia utraque à divisione magnitudinis in semper diuisibilia procedit: & hinc concludit nunquam ad finem magnitudinis perueniri: ideo simili modo utraque explicat, quod nempe infinita illa segmenta divisionesque potentia tantum conueniant magnitudini, atque adeo posse superari. Nam licet in æquali tempore plura spatia potentiam non pertranseat celerrimum, quam tardissimum pertransit tamen maiora secundum proportionem celeritatis. Quare tandem in aliquo spati signo concurrent atque coniungentur, & celerrimum citissime assequetur tardissimum. Non potest punctum aut aliud indiuisibile moueri per se, ex accidenti potest; propterea scilicet magnitudo, cui affixum est, per se mouetur. Nulla mutatio infinita aut perpetua est: quia certis extremis est comprehensa, ut generatio & corruptio, ente & non ente; alteratio duabus contrariis qualitatibus: v.g. dealbatio, nigro & albo; Accretio & decretio, quantitate minori & maiori. Latio recta sive motus localis qui non fit circulariter, loco supero & infero. Nam in iis quæ circulo aguntur, ut in cœlis, alia ratio est. Infinitas est in moribus sive mutationibus diuersæ speciei: alteratio enim potest lationi succedere; alterationi accretio; accretioni decretio; decretioni corruptio; corruptioni generatio; generationi latio; huic rursus alteratio; & ita in infinitum. Sed unus est cœli motus, qui unus manens tempore est infinitus. Posuit enim Aristoteles mundi æternitatem.

Cap. 10.

*Liber septimus Physicorum.*

**H**abet Capita 5. in duas partes redacta. Prior demonstrat unum esse primum motorem, & mouens simul esse cum mobili. Posterior comparat motus inter se secundum tarditatem & velocitatem: & rationem explicat proportionum.

*Ad cap. 1.* Quidquid mouetur necesse est ab aliquo moueri. Mouetur enim quidlibet vel à principio externo, vel interno: Si prius, clarum est ab aliquo alio moueri: si posterius, oportet, id quod mouetur, partem sive vim quandam motricem in se habere, quam ipsū ipsiusve partes aliæ moueantur: Alioqui idem simul respectu eiusdem moueret & moueretur; quod est impossibile. Quicquid ergo loco mouebitur, ab alio mouebitur; & hoc quod mouet, quia etiam mouetur, ab alio adhuc mouebitur; donec stetur alicu-

bi, & ad illud mouens perueniat, quod primò causa erit, ut omnia moueantur, neque ipsum ab alio moueatur. Neque enim datur progressus in infinitum in mouentibus, quia fieret motus infinitus tempore finito. Licet enim singuli motus eorum corporum essent finiti, quia certis extremis essent definiti; eorum tamen omnium collectio in motum quemdam infinitum euaderet: ergo si illa omnia uno tempore mouerentur, quod fieri deberet; (cum necessarium sit inter mouentia & mobilia essentialiter subordinata, uno eorum moto, alia omnia moueri;) & ex hypothesi unum quoddam moueretur, cum hoc unum finito tempore moueretur, alia certè finito tempore infinitum motum absoluissent, quod repugnat. Unus est ergo primus motor.

Primum proximumve mouens quod aetiù seu efficienter mouet, non ut finis, simul est cum eo quod mouetur. Patet inductione motuum, lationis, alterationis, accretionis & decretionis: in his enim omnibus quod primò mouet, immediate coniunctum est, cum eo quod primò mouetur. Nā si de motu locali qui motuum est primus, sermo est, id aperte constat: cum res loco moueantur vel à se, id est à principio interno, ut corpus ab anima; vel ab alio, externo. Utique enim modo mouens cum re mota coniunctum est, & prior quidem modus, perspicuus est: posterior autem sic ostenditur: sunt enim modi 4. quibus res à principio externo mouentur, tractus, pulsus, veetio, volutatio: Quorum duo posteriores ad priores reuocantur: at quod pellit trahit, que, proximum est, & simul cum re pulsâ & tractâ. Sed & quod alterat, putà quod calefacit proximum est rei alteratæ, putà calefactæ: (alterantur sensus quia patiuntur ab obiectis sensilibus: nam ipsorum actio motus est per corpus, paciente aliquid sensu:) Item accretio, additio est; quod ergo auget & augetur, simul sunt: decretio vero detracatio est partis inexistens. Nihil igitur medium est inter proximè mouens & motum. Sed utrumque est simul.

Alteratio motus est ad qualitatem, non tamen propriè ad omnem, sed tantum ad nō appetibilem seu sensibilem; putà ad calorem, frigus, siccitatem, humiditatem, duritatem, mollitatem, raritatem, densitatem, albedinem, nigredinem & consimiles: Quia nempe inter has solas qualitates propriè contrarietas est. Enim vero ad figuram formamve non datur alteratio: Quia quæ figurantur, priorem appellationem non retinent, & non tam alterari quam fieri dicuntur. Nam æ factum simulacrum, non postea vocamus æs, sed simulacrum; & non alteratum illud dicimus, sed factum & formatum: æs vero iteratum, putà calefactum, æs semper no-

minamus, nec ideo fieri aut efformari dicimus. Nec quæ generantur, dicuntur alterati, licet alteratio comes sit generationis. Nō datur etiam alteratio ad virtutes & vitia, siue corporis. Virtus enim perfectio est. At quod perficitur, id alteratio non dicitur, ut neque quod è perfectione decidit. Præterea virtutes & vitia sunt in relatis, ad quæ nullus est motus. ex 5. Physic. Atquè tantū abest ut motus sit ad scientias, aut in parte intellectuā animæ sit alteratio; quin potius otio & quiete & sedatis perturbationibus, anima sit sciens ac prudens. Hinc ebrij, pueri, ægrotantes, scientiæ vacare nequeunt, ob humorum motum.

*Ad cap. 4.* Non quilibet motus cum quolibet rectè comparari posse videtur, alioqui latio recta conuersioni erit æqualis, atque adeo circulus lineæ rectæ; item si alteratio lationi sit æqualis, erit & affectus siue qualitas, nempe calor, æqualis longitudini: quod absurdū. Sed quidni motus varij comparari poterunt secundum tarditatem & velocitatem? Cur super circulo & recta linea non poterunt duo mobilia ferri pari celeritate? Dari enim potest recta linea circulo æqualis. Sunt ergo certe leges comparationis. *Prima.* Que comparantur, non debent esse homonyma: sic malè comparantur in ratione acutivinū, stylus, & fides siue chorda ultima citharae: quia acutum est homonymū: in stylo enim pertinet ad magnitudinem siue figuram: in vino ad saporem: in chorda ad sonum. *Secunda,* debere esse eiusdem generis *Tertia;* id in quo res comparantur, debet habere idem subiectum proximum. Sic equus & canis comparari possunt secundum albedinem, quia albedo in qua sit comparatio, est in eodem subiecto proximo, scilicet superficie. *Quarta,* secundum speciem individuali facienda est comparatio, putà secundum albedinem, an unum altero sit albius, non secundum colorem, quia diuidus est in album, nigrum, quæ non bene comparantur secundum coloratum. Rectè ergo conferentur motus specie iidem, qui æquali tempore æquale spatium conficient: quoad velocitatem & tarditatem, alteratio alterationi, ut sanatio sanationi, sic comparatur. alij enim aliis celerius sanantur.

*Ad cap. 5.* Propositiones motuum quæ hic explicantur per A, quod significat mouens, B, quod mobile, C, quod spatium, D, quod tempus: sic sunt accipiendæ.

Si mouens moueat quoddam mobile per certum spatium & in certo tempore; idem mouebit dimidium mobilis eiusdem, eodem tempore, per duplum spatium. Vel per totum spatium dimidio temporis. Vel per dimidium spatij, dimidio temporis. Quod si mouens mouet mobile, certo tempore, per certum spatium, dimidia virtus mouen-

tis, mouebit dimidium mobile æquali tempore, per æquale spatium. Non est verò necessum, ut mouens quod certo tempore per certum spatium, aliquod pondus mouet, idem etiam moueat pondus duplo maius, eodem tempore, per dimidium illius spatij. Fit enim sæpe ut vis mouentis duplo ponderi non respondeat. Neque etiam oportet, ut dimidia mouentis virtus, quæ posset dimidium totius ponderis mouere, (quod quidem totum pondus tota virtus mouet,) certo tempore, per aliquod spatium, totum moueat pondus, dimidio temporis, aut spatij. Alioqui nauis quam trahunt multi, ab uno trahi posset, per aliam spatij partem. Vnde refellitur Zeno qui ex male assumpta proportione simili concludebat, granū milij in terram cadentis, debere per se sonum efficere, quia cum modius milij cadendo faciebat. Denique si duorum mouentium vnumquodque per se, certum pondus, certo tempore, per certum spatium ferat; poterit utrumque mouens simul & coniunctim duo pondera, per idem spatium, eodemque tempore ferre: quæ enim unius est ad vnum, eadem est ad duo duorum proportionis. Et hæ quidem de motu locali proportionum regulæ possunt ad alterationem & accretionem traduci. Nam si alterans certo tempore alteret, augēnsve augeat, alterans augēnsque duplo fortius, duplo longiori tempore alterabit, augebitque alteratum, vel auctum. Sed si tota quæpiam virtus tātum alteret augeātve certo tempore, non est necesse dimidiā virtutem, dimidiū illo eodem tempore alterare, vel augere. Fit enim interdum ut subiectum alterabile resistat penitus alteranti, eiusque virtutem procul repellat ac refutet.

#### Liber octauus Physicorum.

**T**otus diuinus est, ac ferè Theologicæ potius quam Physicæ contemplationis; in quo scilicet summus Philosophus, ex accurata mobilium corporum, motuum, causarumque subordinatè mouentium perquisitione, ad unius primi Motoris, id est, Dei Optimi Maximi, notitiam quasi per gradus ascendit; cumque æternum, immobilem, vnum, infinitæ virtutis, individualis, omnis corporeæ molis expertem, penitus immutabilem, πάσις τῆς οὐκετίης μεταβολῆς, ἀπλῶς γένους, agnoscit, profiteatur, ac demonstrat. Est verò hic liber absolute Physicus, nō Metaphysicus; licet enim sit de Deo primaque causa, quia tamen ex motu ac per motum, qui naturæ fidus est ac individualis comes, imo & vita, ut ait Aristot. i. cap. sequentis libri, in Dei cognitionem prouochitur, & Deum, primum

motorem contemplatur, ut est causa & principium cœlestis motus, atque adeo omnium naturalium causarum ordinem & analysim in se terminat, habendus ideo est naturalis, & inter eos qui de Physica auscultatione sunt, ut ordine postremus, sic & dignitate primus. Est verò omnis quæ eo continetur, doctrina, decem diffusa & explicata capitibus; quæ quia grauis est, ardua exquisita, & vberima, ampliorem paulò requirit explicatum.

*Ad Caput primum.*

**E**stne motus æternus, necne? Qui infinitos mundos posuere; quorum alij pereant, oriuntur alij, continua successione, iidem & motum fecere perpetuum; ut & ij qui sempiternum esse mundum, atque unum & eundem putauerunt. Sed Anaxagoras omnia credidit, in Chao informi, per infinitum tempus quietuisse, & confusa delitusse; quæ diuina mens cum voluit, in naturæ lucem elegantissimè procul, & hoc quem videmus, ordine distinxit ac segregauit: quare motum & mundum incepisse Anaxagoras existimauit. Empedocles verò Mūdū interpolatis vicibus generari dixit, & identidē corrupti, atque interuallis inter lité destruentē, & amicitiā construentē mediis omnia quiescere. Digna est perquisitione hæc quæstio, & ad naturæ explorationem & addoctrinā de primo rerū principio, id est, Deo. Sitigitur hæc cōclusio. Motus est æternus, qui scilicet nec initium habuit, nec finem sit habiturus. Motus enim est actus mobilis, ut mobile est; ergo si motus aliquando ortus est, & res mobiles præcessisse necesse est, cum mobile sit motu prius. Si igitur præcesserint res mobiles, aut ex perpetuæ fuerint, an genitæ aliquando; si genitæ, ergo motus per quem genitæ sunt, eas antecessit; unde sequitur, motum illum, quem primum assignabas, non esse primum: quod repugnat. Si verò res mobiles perpetuæ fuerint, & motus profectò fuerit perpetuus: absurdum enim est res mobiles infinito tempore fuisse sine motu. Et certè mouens & mobile fuissent in quiete: ergo huius quietis erat causa quædam, cum quies sit priuatio motus: at nunquam est quies sine prævio motu. Erit igitur motus sive mutatio prior prima. Cum ergo primum motum assignare nequeas, quo scilicet prior alias non sit; erit motus infinitus & æternus. Sed & tempus est perpetuum, ut omnes, uno excepto Platone, dixerunt; ergo & motus. Quia tempus est numerus sive mensura motus. Probatur Antecedens. Non potest enim incepisse tempus sine nunc, sive instanti; at omne nunc est medium; est enim finis unius, id est, præteriti, & principium alterius,

id est futuri: nullum ergo nunc assignari potest, quin præcesserit tempus: nullum tempus, quin nunc præcesserit; atque ita in infinitum. Si ergo tempus initium non habuit, neque etiam motus. Ut verò motus & tempus non inceperunt, ita neque desinent unquam. Non tempus quidem, quia, nunc, est post quodlibet tempus, & tempus post quodlibet nunc. Neque etiam motus corrumpetur unquam, daretur enim motus sive mutatio posterior ultima: quod repugnat. Velenim desinente accorrupto motu, res mobiles corruptentur vel manerent superstites: si prius, cum nihil in nihilum abeat, ut nihil sit è nihilo, abibunt res & corruptentur in aliquid aliud, hoc autem esse nequit sine motu. Erit ergo hic motus corruptionis rerum, ultimo motu posterior: Si posterius, manebunt ergo mouens & mobile in quiete & otio perpetuo: quod natura pati non potest. Cum enim mouens & mobile sic se habeant, ut mouens mouere possit, mobile autem moueri & pati, quid obstat quominus hoc ab illo motum excipiat; cum utrumque aptum sit ad motum; mouens quidem per potentiam actiuan, mobile per passiuam? Fabulas ergo narrant, qui motum cœpisse vel desitum esse aiunt. Neque causam rationem suarum assertionum reddunt Anaxagoras & Empedocles: licet Empedocles non adeo absurdè sensisse videatur, qui ordinem quietis & motus in natura agnouit: Anaxagoras verò ordinem, cuius natura studiosissima est, perturbauit: qui quietem infinitam fuisse ait, cui successerit motus infinitus. Nam infinitæ quietis ad motum infinitum nulla est proportio, ordó: Estque natura ad unum simpliciter semperque definita: ut motus levium, semper sursum: grauium, contra. Velsi aliter eveniat, ratio aliqua subest. At rationem non profert Anaxagoras: neque etiam cur Mēs hoc potiusquam illo tempore mouerit, mūdūmque distinxerit. Contra naturam ergo philosophantur, qui ordinem tollunt, nec rationem proferunt.

*Ad Caput secundum.*

**V**erum perpetuitatem motus destruit hæ rationes. Prima, omnis mutatio ac motus sit inter contraria: ergo nullus motus est infinitus: ipsa enim contraria sunt termini, quibus clausus est ac definitus motus. Secunda, videmus multa, post quietem incipere motū: potuit ergo idem fieri in viruesso. Tertia, animal, ut homo qui parvus est mūdus, ubi quieuit, mouetur: ergo in magno mūdo potuit quies motū antecessisse. Ad primā respondet Arist. nullū motū, qui è contrario sit in contrarium esse perpetuum, unūque

vnumque numero & continuum : sed esse motum aliquem ab aliis omnibus diuersū, nempe cœlestem & circularem : qui, cùm eius contrarietatis sit expers, quæ tollere posset perpetuitatem, vñus & idem est, continuus, & sempiternus. Ad secundam, mouetur quod quieuit, ab excitante extero mouente ; sed hunc motum alius antecedit, quo mouens fuit incitatum, & hunc alium alius, & ita in infinitum. Ad tertiam, semper animal quodam affici motu extrinsecus adueniente : & cùm mutat locum, iam antea ad id motum & impulsum fuisse ab æterna quadam causa, mentem vel appetitum prouocante. Sed & motum localem in animalibus antecedit respiratio, aut saltem nutritio : ergo nunquam non mouetur animal: atque adeo male in arguento assumptum fuit, animal à quiete motum incipere, si sermo est de omni quiete. Tolle enim motum nutritionis ab animali, immo & viuente quolibet, simul & vitam sustuleris.

## Ad Caput tertium.

**N**Ecessa est omnia, vel semper moueri, vel semper quiescere; vel quædam moueri, quædam quiescere. Et horum rursus, aut ea quæ mouentur, semper moueri: & ea quæ quiescant, semper quiescere; aut omnia apta simul esse ut moueantur & quiescant, aut id' quod restat atque tertium est; eorum, inquam, quæ sunt, alia semper esse immobilia, alia semper moueri, alia vñumque, moueri scilicet ac quiescere posse. Non igitur omnia semper mouentur: licet Heraclitus & Cratylus contra senserint, qui omnia fluminis instar perpetuo motu volvi ac fluere contendebant: ita vt ille negaret eundem fluum bis posse pertransiri; hic ne semel quidē. Sed male. Natura enim principium est quietis, vt & motus. Neque omnia perpetuo generantur, corruptiuntur, crescunt, decrescent, alterantur: sed aliquando ab his mutationibus cessant, & quiescant. Ecquis vero nisi mentis impos montes & saxa quiescere inficiabitur: aut lapides in eadem duritie & statu, certo tempore permanere, aut elemēta in suis locis consistere? At neque etiam omnia quiescant semper: Ut ex motu notissimum est. Alia ergo interdum quiescunt, interdum mouentur. Vnde patet, falsum esse, omnia semper quiescere, vel semper moueri. Restat contemplandum, an omnia, aut quædam, mouantur & quiescant; an vero alia quiescant semper, alia semper mouantur.

## Ad Caput quartum.

**M**ouentes & mouentur per se, vel per accidens. Quæ per se mouentur, vel a seipso mouentur, ut animalia; vel ab alio, ut inanimata. Quæ ab alio, vel natura mouentur, ut grauia deorsum; ea vero natura mouentur, quorum motionis principium in eis est; vel praeter naturam & violenter, ut ignis deorsum. Patet ergo, quæquid mouetur, ab alio moueri, in iis quæ praeter naturam mouentur; atque etiam in iis quæ ita mouentur natura, ut a seipso moueantur; vt sunt animalia, in quibus <sup>τὰ μὲν φύσις</sup> mouens & motum, anima scilicet & corpus, ut in nauigiis nauta & nauis, distinguuntur. In his, inquam, clarum est quæ <sup>ταῦ τὰ δέ</sup> mouentur; ab alio moueri. At in iis quæ <sup>τοῦ οὐκέτη</sup> dicta sunt, ita ab alio moueri, ut natura <sup>οὐ</sup>. simul moueantur: non adeo est perspicuum; nempe in graubus & leuibus inanimatis, vt sunt clementa, lapides. Ea enim non videntur moueri ab extrinseco, nisi vi quadam impressa: Nec a seipso, quia hoc proprium est animalium, quæ motum ubi, & cùm libet, incipiunt, sistuntque: hoc enim est a seipso moueri. At motus grauium & leuium vñus est ac determinatus, ut ignis sursum. Certum tamen est, grauia & leuia ab alio moueri. Sed a quo? Praescendum, mouens aliud praeter naturam mouere, vt est μοχλὸς, vētis, respectu ponderis: Aliud natura, vt est ignis actu calidus, respectu ligni, quod naturali potestate calidū est, potestque fieri ignis. Mobile itidem duplex. Grauia igitur & leuia, ut ignis & terra, ab aliquo mouentur. Vi quidem, cùm praeter naturam: Naturā vero, cùm in potentia sua naturali existentia, ad suas ipsorum proprias actiones feruntur, nempe ad motus proprios, quibus loca naturalia consequuntur. Sed duobus modis aliquid est in potentia: uno, ad actum primum; altero, ad secundum: ille est, ut forma in re <sup>Potētia dū</sup> ad naturali; vel ut habitus scientiae in scientia <sup>plex remo-</sup> actum pri- & docto; hic est, ut actio à forma manans, <sup>mum: pro-</sup> vel ut actio scientiae siue ipsa contemplatio <sup>x. ma, siue</sup> ab ipso habitu profecta. Sed differt id quod <sup>ad actum</sup> in potentia est ad actum primū, ab eo quod est in potestate ad secundum, quod hoc, nisi impediatur, agat; illud, non item. Sic lignum frigidum in potentia est ad ignem, ut ad actum primum; ad comburendum, ut ad actum secundum; sed actus secundus supponit semper primum: quare ut primum erit lignum actu calidum, siue ignis, statim comburet, nisi impediatur. Idem dicendum de graui & leui. Graue enim, ut aqua, in potentia est ad leue, puta ut sit aëris, ut ad actum primum: ubi vero est aëris, in potentia est ad motum sursum, ut ad actum

secundum. Quare statim sursum fertur, nisi quid prohibeat. Hoc igitur modo grauia & levia sunt in potentia, ut in locum suum ferantur, id est, in potentia proxima, non remotam. Et a verò potentia reducitur in actum, à Generante, quod scilicet fecit corpus graue, vel leue: vel à remouente prohibens, id est, ab eo quod motus impedimenta tollit. Ut si quis tolleret lapidem, quo uter aëre plenus in aqua detinetur; statimque uter ascenderet; huius ascensus causa dicetur, qui lapidem removit: Sed hic mouret tantum per accidens; Generans verò per se. Quia Generans fecit ipsum mobile leue, putâ ex aqua aërem. Si ergo Generans levia moueri à Generante.

Aristoteles grauia & levia tendere in loca propria: quia corpus omne physicum aptitudinem habet, ut sit alicubi, certo videlicet loco, in quo placide consistat atque conseruetur; & talem locum respectu levium esse sursum, respectu grauium, esse deorsum. Ferri vero ea ratione ad proprium locum, ut ab eodem deducantur per se ad actum secundum, ex potentia illa proxima, à quo è potentia remota ducta sunt ad actum primum; id est, uno verbo, à suo generante, quia ab actu primo dependet secundus: causa autem primi est ipsum Generans. Concludit, id omne quod mouetur, siue per vim, siue à seipso, siue natura, necessariò ab alio moueri.

*Ad Caput quintum.*

**M**ouēs unum, mouet; quia ab alio externo mouetur, ut baculus lapidem mouens, qui tamen ab alio mouetur, puta à manu. Alterum per se mouet, nec ab alio mouetur, siue quod immotum mouet. Ut homo baculo lapidem proiiciens. Homo enim ab alio non mouetur. Sed mouens immotum, vel per unum medium mouet; ut si homo manu proiiciat lapidem; vel per plura, ut si idem proiiciat manu lapidem per baculum.

Primum ergo mouens magis mouet, quam posteriora: Quia hæc ab illo mouentur, non contra. Et illud sine his mouet, hæc non sine illo; à quo scilicet vim mouendi mutuantur. In mouentibus verò necessariò est unum primum, quod ab alio minimè moueatur. Nā quidquid mouetur, ab aliquo mouetur; illud ergo à quo mouetur, vel à se solo mouetur, vel ab alio ipsum adhuc mouente: si à se solo, iam erit primum mouens: quia ex se mouet, nec aliunde motum recipit. Si ab alio, & hoc adhuc ab alio; dabitur progressus in infinitum, quod repugnat: quia in infinitis mouentibus & mobilibus non datur primum: at ubi primum non est, neque etiam est ul-

In mouen-  
tibus esse  
unum pri-  
mum im-  
motum.

timum: Quia hoc ab illo dependet, ubiā tem neque primum est mouens, neque ultimum, non est motus. Ergo non dantur infinita mouentia: atque adeo erit unum primum mouens, quod ab alio non mouebitur, eritque vel omnino immobile, vel à se ipso mouebitur. At sanè primum mouens, omni modo immobile est, ut de Mente dixit Anaxagoras: alioqui moueretur vel per accidens, vel per se; non per accidens, quia posset non moueri, quod falsum: cetera enim desinerent moueri; atque adeo omnis motus tolleretur: quem tamen suprà demonstratum est, necessariò esse semper: Non per se, vel enim eadē motus specie, vel diuersa: non eadem; sic enim qui Geometriam doceret, debuisset ab alio Geometriam doceri; qui sanat, sanari; qui proiicit, proiici, quod est aperte falsum: non diuersa, quia standū erit tandem in aliquo motu, vel potius mouente, quod alia motus specie non moueatur: quia scilicet sunt motus finiti, ut constat ex 2. & 5. libro Physic. Et certè sequeretur alioqui, omne mouens esse mobile, ut omne sanans sanabile, omne edificans edificabile: Quo nihil ineptius. Datur ergo primum mouens, quod ab alio, externo saltet, non mouetur. Sed & ne quidem primum mouens à seipso moueri, hinc cōstat, quod quatuor tantum modis intelligi possit, id è seipso moueti. Primo, itayt totum à se toto moueri dicatur: Secundo, ut vtraque pars ab utraque parte: Tertio, ut una pars vel plures à se inuicem, aliis manentibus immotis: Quartò, ut una tantum moueat nec moueatur, nisi forte per accidens, alię verò tantum moueantur: atqui tres primi modi sunt impossibilis. Primus quidem, quia idem simul moueret & moueretur eodem motu, essetque ideo simul actu & potentia respectu eiusdem. Secundus item, quia non daretur primum mouens. Non enim esset ratio, cur una pars diceretur potius primum mouens, quam altera, cū utraque utramque pariter moueret. At sublato primo mouente, non est motus. Tertius denique, quia si totum aliquod ideo à seipso moueri diceretur, quod una vel plures partes se inuicem mouerent, sequeretur contra hypothesis totum non primò mouere seipsum, quia nempe partes se primò mouerent: & per ipsas totum. Moueretur enim totum, vel ab una parte se mouente, vel ut totum à toto. Non ab una parte, quia tunc totum non se moueret primò; non etiam ut totum à toto: partes enim se per accidens mouerent, nempe eo modo quo partes totius continui mouentur per accidens, ratione scilicet totius. Unde fieri posset ut cessaret motus, quod est absurdum. Restat ergo quartus modus, ut scilicet totum, cum à seipso mouetur, habeat partem unam, quæ

immota moueat, & aliam vel alias, quæ tantum moueantur. Ita ut totum & mouens & motum dici possit: mouens quidem, ratione partis mouentis; motum, ratione partis motæ; totum autem à seipso moueri dicatur, non quod se totum moueat, sed quia per aliquid sui mouetur, & per aliquid sui mouet: quæ duæ partes, mouens scilicet & mota, sunt simul, seque mutuò contingunt, si corpora sint; aut altera alteram, licet hæc ab illa vicissim non contingatur; ut cum mouens non est corpus. Sic anima simul est cum corpore, quod ipsa anima tangit contactu virtutis. At corpus non tangit animam rationalem, ut nec cœlum intelligentiam motricem. Contactus enim est corporum.

Quod igitur primum mouet, in omnibus quæ mouentur, est immobile.

*Ad Caput decimum sextum.*

**M**otus pérpetuus est; ergo datur primum mouens perpetuum, æternū, immobile; ac prorsus ex pérse mutationis, tam per se quam per accidens; quod quidem sit causa æterni illius motus. Præterea necesse est esse causam aliquam eorum, quæ cum se ipsa mouant; aliquando sunt, aliquando non sunt; at neque unum eorum, neque omnia simul possunt esse causa huius vicissitudinis; non unum, quia quod sempiternum non est, non potest esse causa effectus perpetui, qualis est hæc vicissitudo nūquam deficiens: non omnia simul, quia sunt infinita; & quia non existunt simul & eodem tempore. Restat ergo ut causa perpetua vicissitudinis sit sempiterna, quæ continet omnia, & generationum continuarum sit commune principium. Quæ quidem causa, siue una sit, siue plures, erit ipsum mouens primum, immobile. Sed præstat causam illam æternam siue primum mouens esse unum quamplura; & si plura essent, esse finita quam infinita: finitum enim amat natura, & quod nichil est, si modò esse potest. At sufficit unum, quod cum primum immobile sit, perpetuum ve; cæteris erit principium motus. Sed & motus ille perpetuus, unus est & continuus, ad quem alij omnines motus, ut ad suum principem intellige motum cœli primique mobili, referuntur, & à quo dependent. Ergo & motor erit unus. Quod si primum mouens æternū est, itemque motus, perennis & continuus, erit & primum mobile unum; quod certè ob situm differentem & aspectum ad inferiora, & varietatem eorum quæ patiuntur, generationum & corruptionum perpetuò sibi succendentium erit causa, cum id de primo mouente dici nequeat; quod eodem semper se habet modo. Observabis obiter

Tom. I.

generationum & corruptionum vicissitudines & stata discrimina referri etiam ad Zodiaci motum & vires planetarum, ex l. 2. de Generat. & Corrupt. Ex his ergo apparet, cur quædam mobilia semper moueantur, ut cœli, nempe quia à mouente immobili, & eodem semper modo se habente, motumque perpetuum unum ac simplicem edente, agitantur; & cur quædam nunquam moueantur ut ipsum primum mouens, quia in mouentibus ad unum deuenire necesse est: & cur interdum alia moueantur, alia quiescant, ut res sublunares: quia à primo mobili sic reguntur, ut ab eo nunc quietem, nunc motum accipient.

*Ad Caput septimum.*

**S**i quis est motus unus, & idem, continuus siue perpetuus, ac omniū primus, eō sanè motu primum mobile à primo mouente moueri necessum est: semper enim & eodem modo mouet primum mouens: atqui motus localis, quem φ. & οι. siue lati-  
nem appellamus, inter cæteros motus ma-  
xime unus est, continuus, imò & omnium  
primus: ergo hoc motu mouet primum mo-  
uens, primum mobile. Estē vero latiōnem  
omni motu priorem patet. Antecedit enim  
Accretionem & Alterationem. Nihil quippe potest crescere, nisi per alimentū: quod  
quidem ex dissimili & contrario, fit tan-  
dem simile viuenti, opera facultatis nu-  
trientis. Atē dissimili fieri simile, altera-  
tio est: hæc enim ad qualitatem pertinent.  
Alteratio autem non fit, nisi alterans acce-  
dat ad alteratum; & certè constat esse alte-  
rans interdum alterato propinquius, inter-  
dum remotius: quod non fit sine latiōne. Si  
ergo motus æternus est, & latiō, quæ est  
motuum prima, æterna erit: quod si latiō  
alia sit prior, ut circularis; alia posterior, ut  
recta, putā quæ fit sursum; necessum erit  
profecto latiōnem illam priorem esse sem-  
per, omnemque aliā latiōnem motūm  
que antecedere.

Imò vero prior est latiō motu quolibet,  
omnibus modis; consequentiā, tempore, &  
dignitate, siue perfectione: quem tertium  
modum vocat Aristot. κατ' οὐσίαν, secundum  
substantiam, id est, ut volunt interpretes, se-  
cundum essentiæ perfectionem, vel etiam  
naturæ prioritatem. Quod enim perfectius  
est, id natura prius dicitur, ut ciuitas, domo;  
licet ordine generationis sit posterius. nam  
quod generatur, imperfectum est: unde ge-  
neratione priora, posteriora dicuntur natu-  
ra, id est perfectione; & contra, ortu poste-  
riora, priora natura, id est, perfectiora, ut vir-  
puero, ex c. 8. l. 9. Metaphysic. & c. 9. huius  
libri. Quanquam quæ generatione sunt

L ij

priora, dici etiam solent priora natura. Ut corpus, anima; subiectum, accidente; imo & quæ primo illo ordine, consequentia scilicet priora sunt, dicuntur etiā natura priora, ut unitas, binario: Licet non sint necessariò perfectiora. Imo-verò ordinem illum consequentiæ vocant Conimbricenses hoc loco, & alij quidam; ordinem naturæ; non satis accurate expendentes vocabula τῆς οὐσίας, καὶ τῆς φύσεως, quibus hic vtitur Aristoteles, non ad significandum ordinem illum primum consequentiæ, sed ad tertium illum perfectionis. Ergo ut soluam nodum: Ordo naturæ duplex, generationis vel executionis; & intentionis, siue finis. Illo ordine potest contineti ordo consequentiæ, & ea que imperfectiora sunt, dicuntur hoc modo priora natura: Sic enim ab imperfectioribus incipit natura, in gerando scilicet, & quoad executionē; hoc autem, nempe ordine naturæ secundum intentionem & finem, perfectiora priora sūt; quæ scilicet prius & ardenter à natura intenduntur atque exoptantur; licet posterius fiat: vnde τὰ τέξοντα, & per excellentiam dicuntur priora natura. Hoc ergo sensu latio est prior natura, id est, perfectione, omni, alio motu, ut & tempore & consequentia. Consequentia quidem, quia latio cum sit continua & perpetua, potest esse sine alio quoque motu; sine latione autem nullus motus esse potest, præsertim cum ex sententia veterum, πυκνότης καὶ μάρασις, densitas, raritasque, sint principia generationum, corruptionum, omniumque qualitatum, densitas verò πυκνότης sit σύγχρονη, congregatio siue cōcretio, vnde corruptio-nes; raritas ἀραιότης, sit διαρροή, segregatio siue secretio, vnde generationes; cōgregatio autem & segregatio non sint sine latione. Tempore etiam, quia latio eterna est, cæteri motus, minimè. Observabis tamen in iis quæ generantur, latiōem esse postremam tempore; generationem verò primā, ut patet. sed hic loquitur Aristoteles purè & simpliciter: quia necessum est causam aliquam vniuersalem esse, que loco moueat, & ad terum sublunarium generationē concurrat, ut est cœlum: Denique perfectione. Primo, quia latio corporibus perfectis conuenit, putà animalibus non recentis natis, sed adultis, ut grandioribus: Secundo, quia latio minimè omnium motionum, subiecti sui naturam immutat, peruerit, aut à suo statu dimouet; cum nec magnitudinem mutet, nec affectiones, nec substantiam, ut alij motus: Tertio, quia quæ seipsa mouent, se simpliciter & maximè propriè, latiōem mouere dicantur: Vnde latio, quasi per excellentiā, Motus simpliciter solet appellari. Alij autem motus non sic, sed ex parte & cum addi-

to, motus denominantur. Ut dicitur etiam cap 9 Sola latio inter omnes motus ac mutationes continua ac perpetua est: quia aliæ mutationes oppositis definitisque terminis, ente non ente, albo nigro, paruo magno, sunt circumscriptæ, quæ ideo non possunt in unam continuari: præsertim cum media quies tempusque inter illas intercedat, ut patet in ortu atque interitu: res enim non intereunt simul ac ortæ sunt: latio autem non necessariò continetur terminis oppositis, ut ea quæ circularis est.

### Ad Caput octauum.

**S**Olus localis motus, qui fit in orbem siue circulum, diciturque uno nomine conuersio, perpetuus esse potest. Omnis enim motus localis, vel fit in cyclum siue orbem; vel in rectum; vel mixto modo; siue, quod eodem recidit, omnis latio vel est circularis, vel recta, vel mixta; at neque recta, neque mixta potest esse infinitè continua, siue perpetua, ergo sola circularis perpetua esse potest. Probatur minor: deberet enim utraque latio fieri per magnitudinem rectam, infinitam, quæ nulla est. Sed & motus localis rectus & mixtus fiunt inter contrarios terminos, sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum, sinistrorsum: non possunt ergo esse continui. Nisi forte fiat reflexio, & mobile retrocedat, à loco sursum. v. g. ad locum deorsum, vnde cœperat. Sed tunc fiunt motus contrarij, directus scilicet & reflexus. Quicquid enim *πλούτιον εὐθεῖαν παρέμπτη, per rectam reflectitur*, id contrariis motibus mouetur, qui non possunt in unum continuari: cum motus continuitas requirat unitatem mobilis, (hic pro exemplo rei mobilis, ponit Deus, sed in exemplis non requiritur veritas, ex secundo Prior. Analyt.) temporis, & formæ, quæ non deprehenduntur in motibus contrariis. In puncto enim reflexionis, ut cætera per se nota omittantur, datur quies, interrumptus continuatatem, siue reflexio fiat in linea recta, ut sursum & deorsum, siue in circulari. Nullum enim mobile ad punctum aliquod peruenit, & ab eodem recedit, nisi interquiescat. Verum, Esto: Nulla intercipiatur quies in punto recursus siue reflexio flexionis, semper tamen verum erit motus reflexus non esse continuos, cū specie differentantur. Si ergo rectus motus, reflexus sit continuus esse non poterit aut perpetuus. Hic incipit 9. cap in quibusdam codicibus. Sola itaque conuersio perpetuam continuatatem, sine ullo incommmodo obtinebit, cum semper ab eodem puncto in idem punctum fiat, circulariter per unam continuam lineam, neque ab uno extremo punto ad aliud regrediatur per eandem lineæ partem, ut

motus reflexus. Nunquam enim in iisdem lineæ partibus fit conuersio , per redditum scilicet & retrocessionem ad easdem lineæ partes, viasque, quæ iam præteritæ sunt. sic enim Sol dum per nostri hemisphærij lineam fertur ab ortu in occasum, non redit per eamdem lineam à puncto Occidentis ad punctum Orientis; sed pergit ab occasu ad ortum commeare continuo motu, per lineam alterius hemisphærij. Quæ autem motu recto reflectuntur , redeunt eò vnde digressa erant, per eamdem lineam siue spatium. Hoc vult Aristoteles, cùm ait, *motum circularem nunquam in iisdem esse, rectum vero saepe in iisdem.* Non potest verò in semicirculo, nec vlla circuli particula, inquit, iugis motus continuari. Quia in nulla semicirculi parte coeunt principium & finis, vt in circulo; vnde fit vt in nulla circuli parte separata, ab eodem ad idem punctum redditio recursusve esse possit, nisi per idem spatium: quod tollit continuatatem. Vnde cùm in aliis motibus ac mutationibus, saepe per eadem media fiat regressio ; album enim regreditur in nigrum, è quo factum fuerat, per fuscum viridemve colorem , siue alium quemdam medium; qui motus alteratio est: & magnum in paruum , per medium statum, qui motus decretio est: & ignis in aërem, per medias easdem dispositiones, quæ mutatio generatio est; perspicuum est, nullum planè motum mutationemve infinitè continuam esse posse, præter conuersioneim, siue, vt ait Aristoteles.

*Ad Caput nonum.*

**L**ationum prima est circularis. Quia latio omnis est circularis, vel recta , vel mixta. At mixta quidem illæ sunt priores, quia ex illis constat : Circularis verò prior est recta: cum circularis sit simplicior & perfectior , vt circulus recta linea. Circulo enim nihil addi potest, rectæ autem lineæ potest semper adiici quidquam, cùm non detur infinita : quæ si daretur , non esset in ea tota motus , quia non posset pertrahiri. Infinita verò non est motus perpetuus, nisi per reflexionem : quod tamen unitatem & continuatatem impedit, & motum multiplicem reddit : at simplex prius est multiplici. Quòd si non fiat reflexio in recta linea , motus imperfectus erit, deficietque & corrumpetur in ipso lineæ fine: atque adeo planè degenerabit à perfectione conuersionis , quæ una semper & continua est. Conuersio igitur recto motu prior erit; φύσει quidem siue natura , quia perfectior & incorruptibilis siue æterna: λόγῳ ratione, id est , definitione ; quia habitus prior est definitione quam priuatio ; cū pri-

uatio ad sui cognitionem necessariò præquirat habitus cognitionem , non contra: perfectum verò ita se habet ad imperfictum, vt habitus ad priuationem: ξέρω deinde, id est , tempore : quia conuersio æterna est, recta autem latio minimè. Quæ ratio probat, omnes etiam alios motus, qui perpetui esse non possunt, esse conuersione posteriores. Sed & latione recta præstantiore esse conuersionem, hinc patet: quòd in illa determinatum est principium motus, medium , & finis: itavt certò possit assignari vnde incipiat moueri lapis. v. g. qua transibit, & ubi quiescet, desinet-ve. Hæc autem non sunt in conuersione determinata; cum motus principium in sphæra vbiique esse possit: & mediū & finis. Hinc vnum & idem punctum oriens est , meridiæ & occidens , respectu diuersarum regionū. Ut certè possit etiam sphæra dici simul moueri ac quiescere, moueri quidem, quia circumagit: quiescere autem, quia in eodem loco spacio-ve manet. Quòd si conuersio sit aliorum motuū mensura , vt est, esse autem mensuram & primum, reciprocantur. certè etit conuersio lationū absolute prima: & si prima, etiā mensura: quia primum in quolibet genere est, ex c. vi. li. 4. Physic. mensura ceterorū. Accedit quòd conuersio sit æquabilis, uniformis , regularis, atque eadem semper celeritate perficitur : rectus autem motus inæquabilis sit & difformis ; naturalis enim , vt lapidis deorsum , in fine celerior , initio tardior est : violentus . contra. At uniformis & regularis motus prior est difformi & irregulari: cū sit magis sibi similis & magis unus : nam difformis dissimilis est sibi , ac veluti multiplex & varius. Vnum verò prius est multiplici. Ergo conuersio prior est quavis latione rectâ. Quòd si veteres lationi principatum dederint inter omnes motus; vt Empedocles , Democritus, Anaxagoras, Plato; sit autem conuersio latio prima, efficitur profectò, conuersionem esse motuum omnium primam , veréque principem.

*Ad Caput decimum.*

**P**rimus motor expers est corporeæ motus κίνου & magnitudinis, vacat partibus, infinita virtute ac potentia prædictus est, unicus μερέσθιος est, immutabilis, & cum ab æterno moueat, οὐ μηδέnumquam fatigatur, sed immotus residet in ἔχειν με- summo cælo, atque in ea potissimum parte, γενθο-, in qua motus est celerimus & rapidissimus. Ut verò doceat Aristoteles, primum motorem esse virtute infinita prædictum, tres certas præmittit hypotheses.

Prima est , vis finita infinito tempore mouere non potest. Ad motum autem tria

accedant necesse est, mobile, mouens, tempus; quæ sibi proportione quadam debent respondere.

Secunda, Vis infinita non potest esse infinita magnitudine: quia posset vis infinita, magnitudinem mouere in instanti, siue in non tempore; quod falsum. Omnis enim motus sit in tempore, ex cap. 3. l. 6. Physic. Probatur maior, duobus suppositis. Primo, quod vis maior minori tempore moueat, ceteris paribus: Secundo, mobile ab infinita virtute motum, citius magisque moueri; quam à quavis finita. Si enim infinita vis in tempore certo mouere posset, & equali tempore vis finita & infinita moueret: cum enim omne finitum possit, additione facta, aliud quodlibet finitum superare, eò posset excrescere vis finita, ut certi illius temporis finitudinem superaret. Eset ergo proportio finitæ virtutis cum infinita. Quod falsum.

Tertia, Finita vis in finita magnitudine esse nequit. Quia quæ infinita magnitudine vis est, omnem aliam finitam superat. Licet enim virtus non semper respondat magnitudini mobilis; & in parua mole magna interdum vis esse possit, ut in seminibus; recta tamen ratio postulat, ut vis maior sit in maiori mole; atque adeo in infinita mole, vis etiam infinita. Sed etsi pars aliqua infinitæ magnitudinis vim habet mouendi certo tempore, profectò maior pars quæ maiorem vim habet, minus in mouendo temporis impendet consumet: ergo tota infinita moles, seruata proportione, nullum tempus consumet: vnde efficitur in ea vim mouendi infinitam esse.

Atqui primus motor tempore infinito mouet primum mobile, cum eius motus sit æternus; ergo primus motor est virtute infinita praeditus. Quæstio hic inseritur de motu projectorum, à quo scilicet moueantur, an à projectore, an à medio per quod proiectiuntur, ut est aer, vel aqua, vel aliquid. quid tale; an à se. At certè projecta se ipsa non mouent, cum hoc animalium sit proprium; nec moueri videntur à projectore, siue tangente; quia mouentur ipso non tangente: neque etiam à medio impellente, putà ab aere tergum urgente; quia eadem manet difficultas de aere, à quo moueatur, & quomodo moueat, nullo mouente aut tangente: supponimus enim projectorem à motu cessasse. Sed non sic se habet projector ad projectum, ut magnes: (*ὅτεπεὶ λίθος lapidem* enim vertunt multi interpretes, *magnetem*; quia exemplum magnetis maximè ad rem facit; non alterius lapidis;) ad ferrum, quod ab ipso vim mouendi mutuatur. Nam si magnes tollatur aut abscondatur, ferri vis illa

mouendi evanescit. At primo impellente, scilicet projectante sublato ac deficiente, non ideo projecti vis mouendi tollitur aut evanescit. Sic ergo soluenda difficultas: Id quod primum mouet, id est, projector, non modò medium proximum, ut aerem, mouet; sed ei vi quamdam mouendi imprimet, ut vicinam partem pellat; hæc aliam attigam; donec ea quæ projecto coniuncta est, tanquam vas aliquod ipsum deferat virgeatque. Et hæc quidem vis à projectante impressa non deficit, licet iam defecerit, vel mouere desierit projector, sed aliquamdiu durat mouetque: alioqui simul atque primum mouens, id est, projector, quiesceret, ipsum etiam projectum procumberet, & moueri desineret, ut ferrum statim absente magnete: quod est falsum. Tunc verò projectum incipit ferrum tardius, cum vis illa impressa languescit: & cum eadem vis tota defecit, definit projectum ulterius moueri, incipitque quiescere. Hic ergo motus iis rebus conuenit, quæ modò quiescere, modò moueri possunt, cum non sit ipse continuus, ut sunt lapides, globi, telâ: nō iis quæ continuo ac perenni motu carent: quia fit à variis successiue mouentibus, projectore, aere, aqua, variisque partibus medij interpositi: Neque regularis aut uniformis. Est enim initio præceps & velox; in fine latus & retusus. At ceteris omnibus, in entibus, siue in rerum natura unum quid mouetur συνεχῶς, continuè & perpetuè, nē peccatū. Ergo eius motus unus est, vnde efficitur, eum esse unius magnitudinis; atque ab uno primo æternoque motore: alioqui enim non esset continuus.

At unus ille primusque ac sempiternus motor planè immobilis est, atque immutabilis: quia cum non detur infinitas mouentium, in uno tandem erit consistendum, quod ab alio non moueatur: & cum cetera moueat, ipsum sit penitus immobile. hoc enim non est necesse συμεταβάλλει, simul mutari, sed poterit semper mouere, sine ullo labore, aut fatigione. ἀπορογέρχετο οὐ τωνητινού. Quod certè æterno motori necessariò conuenire debet, omni mole & magnitudine carenti: fatigantur enim motu animalia, quia corporea sunt & mutabilia; dum scilicet assiduo labore imminuntur vires, facta spirituum vitalium iactura & exolutione.

Atque hinc etiam motus ille cœlestis, vel solus est æquabilis, uniformis, siue semper simillimus, vel certè æquabilium perfectissimus, quia scilicet Motor primus nulli obnoxius est mutationi, vnde etiam sequitur ipsum primum mobile, æternum esse ac immutabile.

Residet verò primus motor in peripheria *κύκλου* mundi siue circumferentia, id est, in cœlo, non in centro, siue medio, id est, in terra,

Emenda-  
tio con-  
textus.

Corpora enim quæ celerrimè mouentur, sunt mouenti quām proxima: at celerrimus & rapidissimus sphæræ motus fiet in Circulo, Āequatore scilicet, (malim enim legere in textu, τὸ κύκλου quām τὸ ὄλου,) qui æqualiter distat à polis. Ergo ibi residet primus motor. Non potest autem mouens ab alio motum, efficere motionem continuā, perpetuam, atque uniformem; quia tale mouens mouebit pulsione, vel tractione immediata, vel mediata, nimirum per partes diuersas medij, vel per diuersa media; quorum vnum ab altero vim excipit successiū, vt dictum est de proiectis: at neutrō modo motus ille continuus est, uniformis, aut perpetuus: quia quæ sic mouentur, tandem deficiunt. Ex quo fit, vt solus ille motus continuus sit, quem facit mouens immobile. Cūm enim eodem semper modo se habeat, & ipsum mobile consimiliter se habebit, continuēque ac uniformiter mouebitur. Quæ cūm ita sint, patet etiam primum motorem nullam habere corporream molem siue magnitudinem. Esset enim ea finita; vel infinita; non infinita, quia nulla talis existit: non finita; quia vt constat ex ante dictis, primus motor infinita virtute prædictus est; cūm infinito tempore mouerit; at virtus infinita in finita magnitudine esse nequit. Est ergo primus motor siue Deus, magnitudinis expers, partium, & divisionis: atque adeo maximè unus, individuus, simplicissimus, puraque spiritualis. Qua Theologia quid quæso poterat ab homine ethnico, ne dicam à Christiano, dici verius aut diuinius?

Porro autem in ea summi cœli parte, quæ incitatissimo motu fertur, sic putauit Aristotleles, Deum primūve motorem residere; non quasi eum certo loco definierit, aut circumscripterit, quem sciebat aut scire facilè poterat, ubique esse, omniāque sua illa virtute, quam infinitam agnouit, implere; cūm lib. i. de partibus Animalium, cap. 5. dictum Heracliti commendauerit, aientis ne ab exigua quidem domuncula, seu casa furnacea Deum abesse; sed quia primus motor in illa cœli parte, uberiori atque illustriorem suæ admirandæ virtutis significationem exhibeat, propter incredibilem motus, qui inibi fit, celeritatem, à quo motu inferiora omnia, totusque adeo mundus regitur atque conseruatur. Vnde sicuti anima dicitur esse in corde, vel cerebro, non quod non sit in extremo digito, omnibusque aliis Corporis partibus; sed quia in corde vel cerebro principes edit actiones, perfectiusque in eis operatur; sic & primus motor in cœlo esse dicitur; non quod cœlum & terram non impletat, & ubique non sit per essentiam, præsentiam, & potentiam, vt Theologi loquuntur, & pri-

Tom. I.

sci etiam Sapientes ac Poëtæ dictis celeberrimis & Carminibus confessi sunt: Trismegistus in Asclepio, Orpheus in hymno ad Satur. Pythagoras, Thales Milesius, Anaxagoras, Virgilius: Sed quod in cœlo quasi in regio suo tribunali, uberior splendeat, perfectius moueat, diuinius operetur. Et hoc quidem Aristotelicum Theorema mirè consentaneum est Christianæ fidei decretis, cum ipsa Dei Sapientia æternaque Veritas Christus Dominus hanc orandi formulam nos docuerit: *Pater noster qui es in cœlis.* Scilicet cœlum Dei aula est & sedes præcipua: terra autem scabellum pedum eius, vt Sacræ literæ perhibent. Et inter res omnes creatas quæ corporatæ sunt, Cœli maximè enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Sed hactenus de primo motore, cœli Domino ac Mundi principe; deinceps de Cœlo ipso Mundoque dicendum ad quatuor sequentes libros. Āequum enim est ipso viso & salutato Principe, eius Basilicam & Palatium inuisere & contemplari.

*Summa librorum quatuor de Cœlo.*

**C**orpus simplex, quod cœlum est, vel clementum; horum librorum materia est siue obiectum; non quovis modò, sed vt in uniuerso certum locum motumque localem obtinet. Hoc declarat doctrinæ ratio methodusque toto opere seruata. Non igitur Uniuersum siue Mundus; non etiam Cœlum obiecta dicenda sunt Librorum de cœlo, quia mundus ens est per aggregationem, omniāque continet, tam simplicia quām mixta, animata quām inanimata; quæ vt diuersa sunt, sic ad diuersas Physicæ partes pertinent: Cœlum vero pars est una, siue species corporis simplicis: at hic non de unico corpore simplici, sed de omnibus agitur: id est, de cœlo & elementis; licet epigraphæ siue inscriptio sit tantum Ἀπό οὐρανοῦ, de cœlo: à præstantiori enim, vt fere fit, petita est, singularia autem cuiusque libri argumenta suis exponentur locis.

*Liber primus de Cœlo.*

**H**abet capita duodecim, in quinque redacta partes. In prima docetur, mundum esse perfectum: In secunda, motum simplicem esse, vel à centro siue medio, vel ad medium, vel circa medium, In tertia, cœlum non esse naturæ elementaris. In quarta, finitum esse mundum, & unicum. In quinta, mundum æternum

L. iiiij

esse, id est, fuisse semper & futurum semper.

*Ad Cap. primum.*

**P**hysica siue scientia naturalis est corporum, & magnitudinum, & affectuum, & motuum, & principiorum, quæ substantiæ tali, corporibus scilicet Physicis, conueniunt. Hæc enim omnia sunt secundum naturam, vel constant natura, vel ipsa sunt natura.

Cotinuum est quod diuisibile est in semper diuisibilia.

**X.** *Corpus* est quod omni ex parte, id est, secundum omnem dimensionem est diuisibile, putà longitudinem, latitudinem, crassitatem.

*Magnitudo* secundum vnum, id est, longum, diuidua, dicitur *χρυσόν*, *linea*, *longitudo*: Secundum duo, id est, longum & latum, *επιπέδος*, *superficies*, *latitudo*: Secundum tria, longum scilicet, latum, & crassum siue profundum, *στομα*, *corpus*, *crassities*. Præter has magnitudines nulla est, quia tria sunt omnia. Corpus ergo quod trina, id est, omni, dimensione constat, perfectum est: ternarius enim, numerus est perfectionis. Perfectum enim omne tribus definiunt Pythagorici, principio, medio, fine. Et rectè, cum lege naturæ res primò incipient, deinde progrediantur, tertiod finem obtineant: finis autem perfectionis est. Imò & ternarius in Sacris Religiosè obseruatur. Si quidem *numero Deus impare gaudet*. Hinc Chaldae rem Sacram olim facturi, thus, aurum, myrrham adhibebant. Alij thus, ignem, orationem; alij, vt Græci, ad altare victimam adducabant, & ignem. Sed & cum de duobus loquimur, ambos dicimus: cum de tribus, omnes: quasi ternarius sit primus numerus omnium. Corpus ergo tribus illis dimensionibus constans, omnino perfectum est. Quippe cui nihil desit, & quod in aliam non transcat magnitudinem, vt linea quæ transit in superficiem, hæc quæ in ipsum corpus. Fit enim transitus siue migratio propter defectum & imperfectionem.

Ex his sequitur, Mundum siue Vniuersum, esse perfectum, quia eæ res quibus constat, perfectæ sunt, cum corpora sint; ipsum autem omnium perfectiones complectatur, neque ab alio comprehendatur, vt nomen ipsum Vniuersi sonat. Vnde necessum est absolute esse perfectum.

*Ad Caput secundum.*

**D**E Vniuersi partibus, *κατ' εἴδος*, per speciem, nunc dicendum, suppositis quatuor documentis.

I. Corpora Physica per se loco moueri possunt omnia. Constant enim natura, quæ est principium motus.

II. Localis motus omnis rectus est, vel circularis, vel mixtus. Sunt enim duo priores soli simplices. Quia solæ hæc duæ magnitudines, recta & circularis, simplices sunt. Motus Circularis est, qui fit circa medium mundi, nempe terram: Rectus, qui sursum vel deorsum tendit.

III. Latio simplex, vel est à medio, vel ad medium, vel circa medium, vt sint omnino tres motus simplices corporis, cuius perfectio tribus est definita.

IV. Ut corporum alia simplicia, alia mixta, siue ex illis cōposita; sic & motuum alij simplices, qui corporibus simplicibus conueniunt; alij mixti, qui mixtis. Quamquam mouentur etiam mixta, *τὸ θηρατήρ*, id est, secundum prædominans elementum: sic enim plumbum, in quo terra grauitas prædominatur, mouetur ut terra, deorsum.

Est igitur in natura rerum, præter quatuor elementa, quæ recto motu feruntur; corpus quoddam simplex siue substantia longè illis excellentior, prior, diuinior, nempe cœlum, cui motus circularis per se conueniat. Primò, quia omnis motus simplex debet corpori simplici. Sed motus circularis est simplex: ergo debet corpori simplici. Atquinon debet vlli elemento, cum omne recto motu feratur. Debet ergo corpori simplici, quod nō sit elementum, nempe cœlo. Secundò, unius corporis simplicis vnum est secundum naturam motus, cui violentus contrarius est: (vnum autem vni contrarium:) motus ergo circularis vel inerit cœlo secundum naturam, vel violenter siue præter naturam. Si secundum naturam, ergo cœlum erit diuersum ab elementis, quæ tali motu non carent: ipsumque siapte natura circulariter mouebitur. Si præter naturam; ergo erit vni cuiquam elemento naturalis, putà igni. Cum enim motus ille circularis sit simplex, necesse autem sit, motum simplicem alicui corpori simplici secundum naturam conuenire; profectò si non conueniat cœlo secundum naturam sed *τῷ φύσι*; conueniet vni ex alijs simplicibus *τῷ φύσι*, putà igni, vel aëri; At hoc falsum: vnumquodque enim elementum vnicum, eoque naturali motu fertur, diuerso à circulari; ignis enim & aëris sursum rectè feruntur; aqua & terra deorsum, iuxta Physicum axioma, vni corpori simplici vnicus secundum naturam motus conuenit. Imò verò neque circularis motus conuenit vlli elemento præter naturam, & quasi naturali motui contrarius: quia cum recto & naturali cuiusque elemēti motui contrarius

sit alius motus rectus, ut motui sursum, motus deorsum; si circularis elementi cuiusdam, ut ignis, motui nativo contrarius esset, vni duo essent contraria, nempe motui naturali sursum, ipse circularis, & motus deorsum; Quod est contra legem naturæ, vnum vni opponentis. Tertio, motus circularis prior est natura, alio quous simplici recto: quia perfectior. *Perfectiona enim, natura priora sunt:* ergo ei corpori simplici conueniet, quod est cæteris natura prius & perfectius, nempe cœlo. Est verò motus circularis recto perfectior; quia circulus in quo fit, est perfectior linea recta: cum sit ubique unus, eique nihil addi possit: linea autem, si finita est, addi semper aliquid possit; si verò infinita, eo ipso sit imperfecta, quia finem non habet. Finis enim perfectio est, cum res perfectæ non sint sine principio, medio, & fine. Denique motus circularis, unus, continuus, & perpetuus est: ergo necessariò conuenit corpori cuiusdam simplici & æterno secundum naturam. Alioqui motus ille qui solus æternus est, esset violentus & præter naturam. Atque adeo violentum esset æternum in naturâ, quod absurdissimum est, *γαρ τελῶς ἀλογον.* Nullum enim violentum durabile: At corpus illud est cœlum ab elementis differens: ergo existit in naturâ corpus ab elementis separatum, tanto præstabiliorum naturam habens, quanto plus ab illis loco distat.

## Ad Cap. tertium.

**N**on omne corpus graue est, vel leue: cœlum enim, quinta illa simplexque substantia, ab elementis quatuor distincta, neque graue est neque leue. Nam graue *τὸ Καρπόν*, est, quod aptum est ferri ad medium, id est deorsum. Leue *τὸ κοῦφον*, quod à medio, id est, sursum. At cœlum corpusve illud quod circulariter mouetur, neque fertur ad medium, neque à medio; siue secundum naturam, siue præter naturam, ut ex supra dictis colligitur. Ergo cœlum nec graue est, nec leue: immo nec eius vlla particula: cum in simplicibus eadem sit ratio totius & partis. Ut verò grauissimum illud est, quod omnibus quæ deorsum feruntur, substat; sic leuissimum, quod super omnia quæ sursum ascendunt; collatum est.

Cœlum, generationis expers est atque corruptionis, accretionis, & decretionis, omnisque alterationis. Generatio enim & corruptio inter contraria versantur, & quod sit, è materia fit contrarias qualitates suscipiente, ut & quod corruptitur, in contrarium abit: at nihil cœlo est contrarium: si enim cœlo contrarium quid esset, ei neceſ-

sariò conuenirent contrarij motus: at non conueniunt cœlo motus contrarij: conuersioni enim, quæ est eius proprius motus, nullus est contrarius motus: & sapienter quidem prouida Natura cœlum ab omni contrarietate liberauit, quod debebat esse ingenitum & incorruptum. Sed neque accretionis decretionis obnoxium est cœlum. *quia accretio est veluti quædam generatio, ex assimilato uberiore alimento, & in viuentis substantiam conuerso.* Decreto, quædam corruptio, ex depereunte parte aliquâ viuentis. At nec generatur, nec corruptitur cœlum. Sed nec habet cœlum materiam tam ex quâ fieri possit accretio, aut etiam quæ resoluti ac perire possit. Quod si nec generationi, nec corruptioni, accretionis nec decretionis obnoxium est cœlum: neque etiam poterit alterari. Quia alteratio fit inter contrarias qualitates, & ordinatur ad prædictas mutationes: quibus cum minimè subjiciatur cœlum, neque etiam alterationi subjicitur. Est ergo cœlum primū corporum, & perpetuum. Quod nec tempore consumitur, nec senio. Et id quidem agnoverunt tam barbari quam Græci: qui Deos credentes esse immortales, ipsis supremum locum, cœlum scilicet, attribuerunt, immortale cœlum, Deo immortali accommodantes. Sed & Astrologi nullam unquam in cœlo citius partibus mutationem deprehenderunt. Denique locum supremum appellauere veteres *αἰθέρα, οὐρανόν, αἰσθέρα, οὐρανόν,* à currendo semper & perpetuo tempore; non *αἴθερν*, quod est, ardere, ut malè Anaxagoras, qui pro igne, æthera dixit: nempe quia cœlum igneum esse crederet, & Solem vocaret ferrum candens & ignitum.

## Ad Cap. quartum.

**N**ihil motus conuersioni contrarius est. Non rectus: huic enim alter rectus contrariatur: ut sursum, deorsum. At vni vnum contrarium. Non aliis circularis. Hic enim vel ex motu semicirculi, vel totius circuli diiudicandus est. At primò, diuersorum semicircularum motus si ab isdem signis versus eadem fiant, ut ab A, versus B, non sunt contrarij, quia possunt esse infiniti. vni ergo motui contrarij essent infiniti, quod absurdum. Secundò, neque motus diuersorum semicircularum facti opposito modo, ut de A in B & de B in A, sunt contrarij ob eamdem rationem: & quia non maximè distant termini, cum maximi distantia iudicetur & mensuretur per lineam rectam, quæ nulla est in semicirculis. Tertiò, non sunt etiam contrarij motus eiusdem circuli, qui fiunt secun-

dùm eius diuersos sémicirculos. Quia continui esse possunt & ab eodem in idem, neque secundum distantiam rectæ lineæ. Quartò, motus circuli totius, non est contrarius motui eiusdem totius, neque alterius. Non alterius: si enim essent infiniti motus, essent infinita contraria vni. Neque eiusdem: nam motus essent ab eodem in idem, vt liquet ex paradigmate. Quos tamen si quis pertinaciter contrarios defendat: vel iij erunt simul in circulo, quod falsum: vel æquè fortes aduenient: & sic se impudent, & perpetuā quiete sese vincita tenebunt, atque adeo frustra essent: vel alter dominabitur & superabit. Et sic vni-  
co motu ciebitur mobile, & nunquam altero. Hic igitur esset frustra, sicut frustra calceus ille diceretur, cuius nunquam futura est calceatio. At Deus & natura nihil  
frustra faciunt.

*Ex hoc loco colligit S. Thomas, Aristotelem agnouisse Deum esse causam effectricem cœlorum, cum frustra esse non possint. Nihil autem, inquit Aristoteles, frustra sit à Deo. Sanè verò multis visum est, ut obiter dicam, mundi creationem innotuisse Aristoteli, qui Deum infinitæ virtutis esse professus est: quæ sola virtus ad creationis opus necessaria est; non tamē eam creationem quam vocant cum nouitate essendi, quâ Deus à primis mundi originibus, res è nihilo produxit; sed quâ ab æterno omnia condidit. Dixit enim Aristoteles, cap. 23. lib. 2. Rethoric. Dæmones esse opus Dei, & cap. 10. lib. 2. de Gener. Deum æternitatem iis quæ eam sustinere poterant, imperitiisse. & 2. Metaph. cap. 1. Primam causam, nempe Deum, esse cæteris causam ut sunt. Item cap. 2. lib. 2. Metaph. Ad unam omnium rerum effectricem causam, esse deueniendum. & lib. 12. Metaph. cap. 7. Cœlum & naturam pendere à Deo, & cap. 8. Deum esse principium absolutè, causamque primam.*

#### Ad Caput quintum

*D*E infinito corpore dicendum, an sit. In hoc enim qualis in principio quisquis errat vel minimum; posteà in progressu errat decies millies magis. Parvus enim error in principio, magnus sit in fine.

*Nullum ergo corpus infinitum est in naturâ. Quia corpus omne vel est mixtum siue compositum, vel simplex. At neutrum est infinitum: non mixtum, quia constat è simplicibus, quæ mole & numero finita sunt: non etiam simplex; cœlum enim quod simplicium primum est, & circulariter mouetur, infinitum non est; quia non posset moueri. Nunquam enim pertransirentur infinita spatia, tantum abest ut*

conuersione conficeret per 24. horas. Quod tamen experientia docet. Sed & nullum figuratum est infinitum. Omne enim figuratum finem habet & terminum; cum figura sit modificatio & determinatio magnitudinis. At omne corpus figuratum est, & certis terminis circumscriptum. Nullum igitur corpus, atque adeo nec quod circulariter mouebitur, erit infinitum.

por.

#### Ad Caput sextum.

**N**EQUE etiam alia corpora, simplicia scilicet elementa, sunt infinita. Vel enim à medio feruntur, vel ad medium. Quæ sunt contrariæ lationes. At medium est definitum, ergo & latio ad ipsum erit finita. Ergo & ei opposita latio; contrariorum enim si alterum definitum est, erit & alterum. Quod si loca sunt finita, erunt & corpora locata finita. Sed & grauitas & levitas elementorum finita est, ergo elementa finita. Antecedens patet: quia si esset infinita fieret motus in instanti. Quod repugnat. Locus etiam quod grauia & levia feruntur, finitus est.

#### Ad Caput septimum.

**P**Atet ex iis quæ dicta sunt, mutandum non esse infinitum: Nullum enim corpus simplex & immobile, similare vel similiūm partium, infinitum est: cum motus simplices & primi finiti sint. Nullum etiam animale, dissimilare, siue partibus dissimilibus constans, infinitum est. Constatet enim vel ex specie infinitis, quæ nulla sunt; vel finitis; & sic non esset infinitum. Quod si corpora simplicia, ut elementa, essent infinita; essent & loca; & motus infiniti; nihilque adeo sursum iteret, vel deorsum. At hoc nunquam visum est. Igitur adiutor. Quia quod hactenus non fuit, non erit unquam. Addo quod omne corpus sensibile agere debeat, vel pati, vel utrumque posse. At infinitum nec agere potest in infinitum, nec ab eo pati, nec mouere, nec moueri. non tempore infinito, quia sicut actio & passio finem non haberent; non finito, quia finitum & infinitum æquali tempore mouerent: essetque ideo inter ea proportionio, quod falsum. Nullum autem corpus est extra cœlum, ne intelligibile quidem aut Mathematicum: quia omne sensibile est, & in loco certo. Mathematicis ratiōne autem non competit locus; qui scilicet solidus motus gratiâ est, à quo illa sunt absolute. Sed neque moueri posset infinitum vel enim ab alio; & sic essent duo infinita: vel à se, & sic esset animal, quod est impossibile. Omne enim animal figuram ha-

bet, & proportionem: quæ infinito repugnant.

## Ad Caput octauum.

**C**orpora Physica elementaria mouentur & quiescent, vel naturâ, vel vi. In quo autem loco natura quiescent, in eundem naturaliter feruntur; & contra, in quo quiescent vi, in eundem vi feruntur. Quod si motus aliquis secundum locum corpori cuidam sit violentus, eius profectò contrarius, erit eidem naturalis. Si enim motus sursum est terræ violentus, motus deorsum erit eidem naturalis.

Non sunt ergo plures mundi. Quia terra vnius apta esset moueri ad terram alterius, essent enim congeneres: at hoc fieri non posset. Terra enim in proprio mundo ascenderet. Vnus igitur est mundus, cùm sit vnicum mouens primum.

## Ad Cap. nonum.

**P**lures esse aut fieri mundos est impossibile. Quia materia omnis in illo absumpta est, è qua tota scilicet constare poterat. Nulla ergo materiæ portio superest, è qua alij mundi cœlīe procreentur. Nominе autem cœli intelligitur, id omne quod à summo cœlo continetur: Id est compages & ordo omnium corporum, siue mundus. Non est igitur extra cœlum corpus ullum, siue simplex, siue mixtum. Ideoque nec locus, nec vacuum, nec tempus, nec motus. Vnde quæ illic sunt entia, in loco non sunt, neque tempore senescunt, neque ulli mutationi sunt obnoxia: àll' αὐλόιστα, ē ἀπογῆ τὸν ἀερίου τελεστίbus ἔχοντας, ē τὸν αὐτοφερότων, οὔτε τὸν ἀπανταχώντα, quorum primum planè diuinum est, immutabile, summum, nihil prauum habens, nullius egens boni, sempiterno & incessibili motu mouens & sapientissimè rerum omniū finis, tempus omne, & infinitatem, vt summa perfectio, continens; æternum, semper ens, & immortale, à quo cæteris datum est esse & vivere; his exactius siue perfectius, illis obscurius.

## Ad Cap. decimum.

**O**rtum esse mundum, sed nunquam peritum, dixit Plato in Timæo; sed male. Quia quæ orta sunt, omnia pereunt. Secundò, si ortus est, ergo ex principiis quibusdam: ea ergo ante ortum mundi aliter se habere poterant, vel non. Si hoc, ergo vt ex iis antea non oriebatur mundus, sic nec postea oriri potuit: si illud, ergo & aliquando adhuc aliter habere poterunt, vñ-

de mundi corruptio sequi poterit. Democritus, vt ortum esse dixit, sic & peritum, sed ita, vt nunquam possit restituī. adhuc male. Quia vt antea cum non esset, ori potuit; sic & cum interierit, adhuc poterit reparari, manente scilicet eadem systasi & constitutione, quæ erat ante ortum. Empedocles verò pugnantia dicit, dum alternis mundum oriri putat & interire, amicitia & lite: facit enim mundum substantia perpetuum, & secundum elementorum naturas remanentem; ordine autem, forma & dispositione corruptibilem. Sed hoc est sempiternitatem inuehere; vt si quis vivissim ex puerō vir, ex viro puer fieret, maneret semper idem homo secundum naturam.

## Ad Caput undecimum.

**A**ncēps & confusa mens redditur, & ιοειγεῖσθαι, per homonymiam, dum pro uno sumit id quod multis usurpat modis. Ergo æquiuocum distinguendum; vt est in generabile, quod dicitur tribus modis. I. Quod cum antea non esset, nunc ἀγέντος est, sed tamen nulla præunte generatione & γέννησι, aut motu, vt contactus, motus. II. Quod τὸν φθαρτὸν genitum non est, licet gigni possit, vt τὸν, & αρρωστη. III. Quod impossibile est φθαρτοῦ. generari, itavt aliquando sit, aliquando non: vt cœlum Aristoteli. Tot modis dicitur generabile, corruptibile, incorruptibile. Sed impossibile bifariam dicitur. Primò, simpliciter, quod nec est, nec esse aut fieri potest. Secundò, quod non facile, nec adiuvātur, nec bene.

Vis & potentia naturalis, quantum ad id quod potest, explicari ac determinari debet secundum terminum excellentiæ. Vt si maximum pondus quod portare valles, sit ducentarum librarum, diceris vim habere portandi 200. libras, qui enim potest maius, potest minus; & si vides festucam, videbis & trabem. Quantum autem ad id quod non potest facultas naturalis, debet ea designari per minimum: quod non potest. Si enim minimum præstare nequeas, vt portare 200. libras: neque maius præstabis, vt 300.

## Ad Cap. duodecimum.

**V**æ possunt esse & non esse, ea certum ac definitum tempus habent ad existendum; alioqui quād maximo tempore dato, possent adhuc esse in maiori, vel non esse; siveque possent esse infinito tempore, & non esse: quod repugnat.

Impossibile, possibile, verum, falsum, dicuntur vel ex hypothesi, vel absolutè. Sed absolutè falsum, & absolutè impossibile

non idem valent. Nam falsum est absolu-  
tē, eum qui sedet, stare; non impossibile:  
At Diametrum esse commensurabilem co-  
stā, vel simul stare & sedere, absolutē falsū  
est & impossibile. Posito igitur impossibili  
accidit impossibile; falso autem non ne-  
cessariō accidit impossibile. Idem enim si-  
mul ad apposita potentiam habet, sed non  
ut ea simul habeat.

Omne igitur sempiternum est incorru-  
ptibile. Si enim sempiternum esset corru-  
ptibile, idem simul esset & non esset. Esset  
quidem, quia sempiternum; non esset,  
corruptione adueniente. Est etiam omne  
sempiternum ingenitum, quia quod geni-  
tum est, aliquando existit, aliquando non.  
Non erat enim antequam generaretur.  
Omne igitur sempiternum est ingenerabi-  
le & incorruptibile, & contra. Ut ergo re-  
ciprocantur, ingenerabile, incorruptibile,  
sempiternum: sic & generabile, corrupti-  
bile, caducum. Errauit igitur Plato qui  
mundum genitum esse dixit, esse tamen  
incorruptibilem. Quod si velit Plato omne  
genitum esse secundum naturam suam cor-  
ruptibile, nunquam tamen actu corruptum  
iri, propter externam causam eius conser-  
uaticem, nempe Deum, fallitur. Quia da-  
retur aliquid, quod esset semper, & non  
posset esse semper. Hic tamen monuerim,  
rationes Aristotelis non necessariō conclu-  
dere neque eas valere nisi in generatione  
physica. Quid enim vetat mundum suę  
relictum naturae, posse dissolui ac interire?  
Eum tamen à Deo, cuius potentia nullis  
est limitibus circumscripta, perpetuo con-  
seruari? Ut ergo mundum, cùm nihil esset,  
præpotens Deus creare voluit; sic & eum  
dem semel productum pari bonitate, sa-  
pientia, & virtute in æternum conseruabit.  
Ratio facti, potentia est facientis. Quan-  
quam crediderim non posse rationes Ari-  
stotelis, pro æternitate motus & mundi  
adductas, humanis & Physicis responsio-  
nibus dissolui, quicquid reclament sciolii  
quidam. optimè enim ex concludunt, se-  
cundum naturalia principia. Neque iis satis-  
fieri potest nisi adducto miraculo creatio-  
nis, quod fide quidem innotescit; nullā au-  
tem fortè aptā satis demonstratione potest  
persuaderi. Ut intelligant omnes, vnum  
Aristotelem, solo naturae lumine illustra-  
tum, de rebus naturalibus secundum natu-  
rae Physicæque principia, optime fuisse  
philosophatum. Quid si crediderit Aristoteles  
maiorem Deo, eiisque infinitæ boni-  
tati, gloriam cedere ex æternitate mundi,  
quam ex eius temporanea creatione?

## Liber secundus de Cælo.

**H**abet Capita 14. vel, ut alij volunt,  
duodecim: Partes tres. Prima, est  
de toto cœlo. Secunda, de stellis. Tertia,  
de terra, quatenus est mundi centrum, cir-  
ca quod voluitur cœlum.

## Ad Caput Primum.

**C**OELUM nec ortum esse, nec corrū-  
ptum iri, sed vnum ac sempiternum  
esse, constat ex dictis. Et præterea ex pris-  
corum sapientum consensu, qui Deo sem-  
piterno cœlum sempiternum assignarunt.  
Porrō fabula est, Atlātem humeris cœlum  
sustinere, grauitas enim nulla in eo est. Fal-  
sum etiam Animam mouere cœlum, quasi  
animal; cum enim perpetuò mouere debe-  
ret, non esset lassitudinis & doloris expers,  
nedum beata: sed Ixioni similis, & infeli-  
cior anima mortalium: quæ somno & quiete  
reficitur ac recreatur.

## Ad Caput secundum.

**L**OCI, positionisque differentiæ omnes,  $\tau\acute{\alpha}$ ,  $\tau\acute{\omega}$ ,  $\tau\acute{\mu}$   
quæ sunt seorsum, deorsum, ante, re- $\tau\acute{\omega}$ ,  $\tau\acute{\mu}$   
tro, dextrum, sinistrum, cœlo conue- $\tau\acute{\omega}$   
niunt. Quia cœlum est animatum & perfe- $\tau\acute{\omega}$   
ctum: (animam enim, id est, intelligentiam,  $\delta\acute{e}xi\acute{on}i$ ,  
habet, non quasi formam informantem,  $\epsilon\acute{r}\acute{e}g\acute{o}$ ,  
sed assistentem:) at sex illæ situs differentiæ  
rebus animatis perfectisque conueniunt.  
Malè Pythagorei dextrum duntaxat & si-  
nistrum cœlo tribuerunt. Quia has dif-  
ferentias aliæ quatuor anteedunt. Primæ  
enim sunt sursum & deorsum, quæ vbique  
sunt, & in viuentibus pertinent ad accre-  
tionem: Sequuntur ante & retro, quæ solis  
sentientibus insunt. Sensus enim est in an-  
teriori parte, saltem maximè. Ultimæ ve-  
rò & perfectissimæ sunt, dextrum & si-  
nistrum, quæ animalibus locum mutantibus  
perfectisque conueniunt.

Sursum ergo primi cœli est polus Antarc-  
ticus; deorsum, Arcticus. Ante, Meri-  
ties; retro, media nox, siue punctum vtri-  
usque. Dextrum, Oriens, à quo scilicet  
est motus. Sinistrum, Occidens. In aliis  
sphæris, quæ opposito modo mouentur, a-  
liter res habet.

## Ad Cap. tertium.

**V**NUMQUODQUE quod agere aptum est,  
gratia suæ operationis est. Dei autem  
operatio; immortalitas est siue perpetua  
vita, motus ergo perpetuus ei conue-  
niet, quo scilicet cœlum diuinum corpus  
mouebit.

mouebit. Ergo cœlum circulariter mouebitur, eritque rotundum. Tale enim corpus per se semper conuertitur. Quod si semper cœlum conuertitur, certè quiescat aliquid in medio mundo, nempe terra, idque naturaliter. Cūm enim terra perpetuò quiescat, si violenter quiesceret, aliquid violentum esset perpetuum. Iam verò, si terra est, erit & ignis. Si enim vnum contrarium est, erit & alterū. Et si terra & ignis sunt, erunt media elementa, aer & aqua, terræ & igni contraria. Quod si sint 4 clementa, erunt generationes & corruptiones ex illis, & propter illa, contraria scilicet & corruptibilia. Si autem sint generationes & corruptiones, necesse est esse plures sphæram cœlestium conuersiones. Si enim esset sola prima, semper omnia se se eodem modo haberent, cūm sit maximè vna & æquabilis.

*Ad Cap. quartum.*

**C**OELUM figuræ est rotundæ. Hæc enim figura est omnium prima, & perfectissima. circulus enim in planis & rectilineis tenet principatum: at ut se habet circulus ad plana, sic sphæra sive figura rotunda ad solida. Ut enim circularis figura vnicā lineā continetur; sic sphærica superficie vnâ. Conuenit ergo figura rotunda primo & perfectissimo corpori, nempe cœlo ultimo; si autem huic, ergo & inferioribus; atque etiam elementis, quæ sibi omnia cohærent. Nam quæ à rotundo continentur, necesse est esse rotunda. Neque verò figura rectilinea, neque lenticularis, neque ovalis, aut alia præter rotundam cœlo conuenit. Cūm enim circulariter moueat, sequeretur dari vacuum extra cœlum. Nam cūm necesse esset in motu angulos sibi vicissim succedere, esset nunc ibi corpus cœli, vel pars eius, vbi antea non erat: At vacuum non est extra cœlum. Sed & motus cœli aliorum est mensura. At mensura in omni genere est quid minimum: vt in numeris vniuersitas; in ponderibus granum, minimus autem motuum celerissimus est. Ergo erit lineæ in seipsum minimæ, quæ certè circularis est. Si igitur cœlum circulariter mouet, erit necessariò rotundum. Quod si aqua rotunda est, vt hinc constat quod ea nunquam quiescat, donec paribus à mundi centro lineis distet: & quod aere rotundo ambiatur, aer etiam ab igne: si, inquam, elementa rotunda sunt, & cœlum adhuc rotundius; profectò erit totus mundus exquisitissimè rotundus, vt nihil arte factum ἐχερόκυπτον perfectius possit rotundari.

Tom. I.

*Ad Caput quintum.*

**C**VM in æternis nihil casu & fortuito eueneriat, subest sanè causa cur moueat cœlum ab oriente in occasum, per punctum meridiei, non contrà: hæc verò est, quia dextrum cœli est oriens, antrorsum verò est meridies: at præstabilius & melius est motum fieri à parte dextrâ & ad anteriem partem, quam contrà. Natura autem semper optimum facit. Hinc enim ignis elementorum nobilissimum, sursum mouetur; quia hic locus est diuinior.

*Ad Cap. sextum.*

**V**NIFORMIS est primi cœli motus ac regularis; quia pari semper velocitate fertur. Si enim esset ἀώμαλος & irregularis, posset nunc intendi, id est, fortior & celerior esse; nunc remitti, id est, fieri tardior; nunc esse in statu, id est, in vigore, summâque perfectione. Omnis enim difformis irregularis latio & aetate, & ætate, & æxiliu τέχει, remissionem, intensionem, vigorēque habet. Sic motus grauium & levium, qui naturalis dicitur, in fine celerior est: projectorum, initio: animalium, in medio. At in primi cœli motu, hæc esse non possunt, quia sempiternus est & circularis, id est, principio, fine, & medio carens. Secundò, irregularitas motus vel est à mouente, cuius scilicet non sit eadem semper mouendis vis; vel à mobili, quod scilicet non sit eadem ratione dispositum: at neutra causa est in motu cœli. Mobile enim, id est, cœlum ipsum, semper manet idem, simplex, ingenitum, incorruptibile, immutabile; mouens verò longè magistale. Tertiò, stellæ firmamenti, semper eamdem distantiam seruant inter se. Quartò, remissio est ἀδυομέτρη, imbecillitas quædam, sive impotentia: omnis autem impotentia est præter naturam, ut senectus, decretio: quæ proximè à spirituum defectu, remotè à pugna & dissidio elementorum contingit. Cum ergo cœlum non sit naturæ elementaris, neque quidquam habere possit præter naturam, quia deberet esse id quod præter naturam est, sempiternum; erit omnis impotentiæ expers, adeoque remissio. Motus ergo primi cœli regularis est,

*Calorem  
monetur  
dūalōsis:*

*Ad Caput septimum.*

**A**STRÀ sunt eiisdem naturæ cum suo cœlo. Vnumquodque enim de eius corporis naturam est, in quo est. Sic voluerunt alij, stellas esse igniculos: quia cœlum, in quo sunt, ignem esse putarunt; licet falsum sit, cœlos & astra ignea esse. Calorem enim luménque producunt, suo motu aerei-

M

περικε fricando. Motus enim calefacit, imò & γένη κα accedit ligna, lapides, ferrum, liquat ρνοις ου plumbum, vt in sagittis per aerem violen- πυρούς & ter impulsis. Non igniuntur tamen ipsæ ξύλα, & sphæræ cœlestes, sed aer, qui etiā ob iustum, λιθούς, & motione fit ignis: Incalescit autem maxi- σιδηρούς. mē à sphéra solis, caloris incrementa suo ac- cessu facientis, radiis scilicet in nostros ver- tices arctiūs coeuntibus ac geminatis.

## Ad Caput octauum.

**A**stra cœlis infixa non mouentur per se & proprio suo motu, ut pisces in aqua, aues in aere; sed ad motū suorum orbium. Alioqui mouerentur quiescentibus orbi- bus, ipsisque astris, quod est apertè falsum. vel utrisque proprio motu motis: & sic æquales essent orbium & astrorum velocita- tes: quod absurdum; quia maiora, velociora, vel ipso cœlo quiescente, quod etiam fal- sum, ob eamdem fere rationem. Nam a- stra quæ in circulis maioribus sese moue- rent, velociora essent iis quæ in minorib; sicque celeritates astrorum proportionem haberent ad circulorum magnitudines. Se- cundò, si astra mouerentur proprio motu, ea cum rotunda sint, vel mouerentur per conuersionem; & hoc non; quia quæ conuertuntur non mutant locum; astra autem mutant; nunc enim in ortu sunt, nunc in occasu. Quòd si Sol circumagi videtur, vel quodammodo versari, cùm oritur, vel occi- dit, id sit ob visus longè se exténdentis imbe- cillitatem: cuius visibilis spiritus ab ipso Sole circumuoluitur. Quæ etiam causa est, cur stellæ fixæ micare videantur, non planetæ, cum illæ distent magis. Vnde ob distantiam tremit vis<sup>o</sup>, qui tremor in ipso astro esse pu- tatur. Vel per volutationē, & hoc non. Sem- per enim eadem astrorum facies non appa- reter: Quæ tamen eadem semper appetet, vt in luna videre licet: quæ cum plenum or- bem exhibet, eamdem semper faciem, ma- culosam scilicet & obscurioribus particulis interlitam ostentat. Denique nulla stellis organa data sunt ad progressum, vt anima- libus dati sunt pedes; ergo signum est ea non progredi propria vi, sed moueri ad sui cœli motum.

## Ad Cap. nonum.

**E**leganter quidem, καὶ μῆτες, & τελεῖται, dixit Pythagoras, sphæræ cœlestes, a- stra que iis infixa, impulsu suo motuque pe- renni, harmoniam & concentum edere sua- vissimum, qui tamen ob audiendi consuetu- dinem non percipiatur; sed procul à verita- to. Si enim à cœlis esset sonus; is sanè vim inferret corporibus sensilibus, longè ma- iorem & nocentiorem quam tonitruis sonus

Nullæ est  
cœli Musi-  
ca.

& fragor, qui scilicet lapides & robustissi- ma corpora frangit. Secundò, quæ so- num edunt, ea se vehementer collidunt: sed astra cū feruntur, se non collidunt, cum sint coniuncta & infixa suo cœlo. Sic enim malus puppis, prora, in nauem coniuncta, non sonant; quia sunt in eo quod fertur, & iustum non faciunt.

Notandum hoc capite, Aristotelem, Dei & naturę prouidentiam agnouisse, eāmque ad sublunaria extendisse, per hæc yerba, tanquam futuris prouidente natura.

Ad Cap. decimum,  
τοῦ τέταρτου ἀρχων.

**E**stintet cœlos stellæisque ordo & dispo- sitio Astrologis probè cognita: aliæ e- nim priores, aliæ posteriores; aliæ celeriores, aliæ tardiores. Posteriores enim sunt, quæ à primo orbe magis distant; priores, quæ contra. Ut verò primum cœlum ocy- simè mouetur; sic & posteriores orbēs, quo ei sunt propinquiores, eo ocyus mouentur, motū illo raptus: & quo remotiores, eo tar- dius. Vnde sit ut planetæ & eorum orbēs, quod supremo cœlo viciniores sunt, eo tar- dior sit proprius ipsorum motus, qui est motui primo contrarius; cum sit ab occasu in ortum: & quo remotiores, eo celerior: itavt qui medio modo distant, medio etiam modo secundum distantiae proportionem moueantur.

## Ad Caput undecimum.

**A**stra rotunda sunt. Natura enim nihil sine ratione facit, aut frustra. Cum er- go astra per se sint immobilia, siue inepta ad σφαιρα- motum per se, tribuit eis natura figuram ad dñ. se mouendum ineptissimam: qualis est ro- tunda. Sed & luna rotunda est, crescit enim & decrescit per sectiones orbicula- res. Ergo & alia astra, cum eadem sit hac in re omnium ratio.

## Ad Cap. duodecimum.

**D**ubia duo difficultia, sed præclara, hæc soluenda sunt.

Primum, cur cœlorum motus non multi- plicantur secundum distantiam à primo, id est, cur cum primum cœlum uno simplicissimo motu moueat, & secundum, duo- bus; & tertium, tribus; alij etiam orbēs, quo distant longius à primo, eo pluribus motibus non moueantur. Nam orbēs sol- lis & lunæ paucioribus motibus centur, quam alij quidam superiorum planeta- rum. Poterit fortasse solui quæstio, si hæc supponuntur. I. Naturam eam per- fectam optimamque esse, quæ sine motu

& actione (qua finem alium à se obtineat) optimè sese habet; qualis est solus Deus. II. Huic naturæ proximam esse eam, quæ uno motu & actione perfectionem & finem assequitur; & huic eam, quæ duabus, & ita deinceps. Ut in animalibus videre licet, quorum alia sanitatem habent, sine ullo motu & exercitatione, & ea perfecta sunt: alia uno motu eam assequuntur; alia pluribus: ita ut quæ non nisi pluribus actionibus eam assequuntur, sint imperfectiora. III. Ese quædam animalia, quæ sanitatem assequi nullo motu possunt; ut quæ insanibili morbo laborant, licet ea melius interdum habere possint. IV. Difficilius esse multa recte facere & sèpe, quæ pauca. V. cœlos agere quasi viuentia, vnde patet esse quinque genera rerum. I. Earum quæ a deo perfectæ sunt, ut nullo egeant motu, ad suam perfectionem, bonumque obtinendum; ut est Deus, siue primus motor. II. Earum quæ multa obtinent per diuersos motus & actiones multas, ut homines. III. Earum quæ bonum perfectum assequuntur paucissimis actionibus, ut sunt intelligentiæ. IV. Earum quæ assequi nulla actione possunt perfectum omnino bonum, sed tantum aliquam ad ipsum dispositionem, ut animantes, stirpes. V. Earum quæ nec perfectum, nec dispositionem ad ipsum possunt assequi, ideoque actione & motu non egent. Vnde patet primum & ultimum rerum genus nullo motu aut actione egere; sed ratione diuersissima. Primum enim non requirit motum, quia perfectissimum est, & sibi per se sufficiens; quintum vero, quia imperfectissimum. Sic ergo quæstio solui posse videtur.

Corporum perfectissimum est primum Mobile; ideo unico motu suam perfectionem obtinet. Terra autem imperfectissima, ideo motum nullum actionemve habet. Quæ autem corpora interiecta sunt, propter terræ & cœlo primo, situ viciniora sunt; sic & perfectiora, vel imperfectiora sunt, & uno pluribusve motibus perfectionem obtinent. Mouentur ergo tria superiora elementa uno motu recto, sed vitam non attingunt, eam quæ in cœlo esse supponitur, per animam assistentem; & qua tanquam vniuersali causa viuit subsistitque mundus sublunaris; alia vero, nempe inferiores orbes, Lunæ & Solis, (hos enim infimos esse putauit Aristoteles) mouentur aliis pluribusque motibus quam clementa: quia vitam illam cœlestem sortita, sempiternitatem ducunt, & in sublunarem mundum pro sua virtute influunt; sed tamen paucioribus motibus mouentur, quam superiores orbes: quia pauciores perfectiones consequi debent, quam superiores, ut Iouis, Saturni. Vnde sit, ut hi plures habeant

Tom. I.

motus: quia plures perfectiones cōsequuntur, vitamque illam cœlestem (quæ in regendo sublunari mundo per influencias consistit) magis possident, participantve. Cum ex vniuersalitate causandi, id est, influendi, potius quam ex ordine situs, plures aut pauciores motus, in mediis illis orbibus sint colligendi.

Alterum dubium. Cur primum cœlum, quod putauit Aristoteles esse firmamentum, tanta astrorum copia sit exornatum, cum in inferioribus ea singula sint, & vnum in uno? Facilior est huius dubij solutio, quam prioris. Nam primo cœlo aliorum principi, maior debetur vis & pulchritudo; vtraque autem est ab astrorum multitudine. Sed & consentaneum erat, cœlum illud pluribus stelli, adornari, quod unico motu agitur; alienim orbes, quorum unicum est astrum, pluribus motibus exercentur.

Sed pace Aristotelis dixerim, errata quædam irrepserit in hoc caput, quæ recentiores Astrologi iure reprehendant. Ut quod Solis & Lunæ orbes sint omnium infimi. Falsum enim hoc, de Sole, qui superior est Luna, Mercurio, Venere. Item quod cœlum stellatum, aplanes, siue firmamentum sit primum mobile. Sunt enim tres cœli firmamento superiores, nempe primum mobile, & duo crystallini, ut demonstrant Astronomi, ex varietate motuum, quos in ipso firmamento longa freti experientia obseruarunt: ita ut undecim sint cœli mobiles: Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, firmamentum, nona sphæra & decima, quæ dicuntur crystallinae, & motu librationis carent: illa ab ortu ad occasum: & contra; hec ab austro ad Septentrionem, & contra: depiqsio primum mobile, quod viginti quatuor horis diem vnum naturalem facientibus, circulationem absolvit, ab ortu in occasum: cum alijs orbes fere omnes ab occasu in ortum proprio motu moueantur. His omnibus cœlum empyreum immobile superius est, aula Dei, & beatorum æternæ sedes. Denique, quod dixerit Aristoteles stellas esse innumerabiles. Sunt enim tantum 1022. Sed nobis summa rerū fastigia sequentibus, in his erroribus refellendis immorari non licet. Excusatione tamen dignus est Aristoteles, cuius ætas ea cœlorum phænomena non percepit, quæ recenti & nostra præsenti tempestate innotuerunt.

Ad Cap. decimum tertium.

**D**e terra, eiusque situ, motu, quiete, &c. nis. Ægura, varijs varia dixerit. Alij quippe eam in medio esse sitam affirmarunt; alijs ignem in medio mundi esse; terram vero else vnam stellarū, quæ circa medium

M ij

moueatur; sicque noctem faciat & diem, & habeat terrā alteram oppositam *αντίθοτα* dictam. Ita senserunt Pythagorei, qui medio loco, ut praestantissimo, ignem clementorum perfectissimum incluserunt, ibique à natura repositum esse, ut diligentius tutiusque conseruaretur: hinc enim ignem illum vocabat Διὸς φυλακή, *Iouis carcerem*, vel custodiam. Sed errant: quia medium magnitudinis & naturae idem esse putant: quæ tamen valde differunt. Illud enim est, quod æquè distat ab extremis: ut centrum in circulo. Hoc, in quo vis totius conseruatrix continetur, ut cor in animali. Medium ergo naturæ semper quidem nobilium est, sed tale non est centrum mundi, ubi continetur terra & circumscribitur à vicinis elementis ipsa nobilioribus, cum hic pretiosius sit continens contento, ut forma perfectior est materia. Quare in centro mundi ignis esse non debuit: sed in medio naturæ, virtutis, & perfectionis, id est, in cœlo siue iuxta cœlum, quod est veluti cor naturæ, ignem probè conseruans. Dixerunt alij terram esse in medio, & circa medium ferri. Alij esse plures terras; alij unam, & sphæricam; alij esse figuræ tympani: Alij, ut Empedocles, eam quiescere, ob motum cœli rapidissimum, quo impeditur ipsa terra, ne moueat, aut decidat; ut in vase aqua pleno conspicitur: quod si celestis conuertatur, aquam effluere non sinet: sed hi errant in assignanda causa quietis terræ. Supponunt enim terram motum iri alio, quod falsum. Alioqui ascenderet: ubinam autem quiesceret? Præterea partes terræ feruntur ad centrum, ut omnia graui: cuius motus causa, non est rapidissima circumgyratio, ut satis patet.

*Medium  
naturæ  
differt à  
medio ma-  
gnitudi-  
nis.*

#### Ad Cap. decimum quartum.

**N**on potest terra circa polum moueri circulariter, siue in medio, siue extra medium sit. Eset enim hic motus naturalis; vel violentus: non naturalis, quia idem est naturalis motus partium & totius: partes autem terræ feruntur recta ad medium: non violentus, quia cum motus iste ad ordinem mundi spectaret, ordo autem mundi perpetuus sit, daretur violentum perpetuum.

**Terra** *quiescit.* Terra igitur quiescit in medio, immobiliisque consistit. Omne enim graue, ut est terra, ad medium tendit: unumquodque autem in eo loco naturaliter quiescit, ad quem naturaliter fertur. Sed & pondera sursum projecta ab uno terræ loco, in eundem locum *τὸν οὐλὸν ad perpendiculum re-*cidunt, licet multum consumant temporis in reditu. Aptæ scilicet est per se terra, ut

omni ex parte feratur ad medium, sic ut ignis aptus est sursum ascendere, & à medio ferri: hinc enim sit, ut nulla terræ pars, neminem tota, à medio mundi auelli queat, nisi per vim. Ergo in eo naturaliter quietescit: quod & ut certum, supponunt Astrologi. Terra rotunda est. *Quia pars terræ quælibet, suâ grauitate tendit ad medium: & quæ maior est, descendit per declive, aut minorem pellit; quoad æquata tumorem relinquat, omnésque partes æquæ à medio, ( medium autem terræ & mundi idem ) dissentent.* Hoc autem est figuram habere rotundam. Sed & luna patitur eclipsim per circularem sectionem, ab umbrâ terræ factam, ergo terra est sphærica. Neque tantum globosa est, sed & admodum parua comparatione astrorum. Euntibus enim ab Arcto ad Meridiem fit nouus horizon, nouæ apparent stellæ, latenter arcturi: quod terræ paruitatem certè clarèque demonstrat: Si enim prægrandis & vastissimæ molis esset, non tam citè nobis paululum translatis noua sydera apparerent, & alia occultarentur. Aiunt etiam Mathematici ambitum terræ continere quadraginta stadiorum myriadas 40000. quam magnitudine superat multis partibus astrorum moles. *Admodum exiguae, etiam comparatione syderum.*

#### Liber tertius de Cœlo.

**C**onstat Capitibus 8. partibus fere totidem, cum singulis capitibus singulæ quæstiones excutiantur. Est autem hic liber & qui sequitur de Elementis, ut sunt partes mundi, & grauitatem vel levitatem fortuntur.

#### Ad Cap. primum.

**H**Aec tenus de cœlo & astris. Nunc de elementis, quæ duobus, graui scilicet & leui significantur: atque adeo de generatione & corruptione dicendum; quippe quæ solis hisce elementis, & mixtis conueniant. Est enim cœlum, ( quod hic dicitur primum elementum, id est, primum corpus simplex, ortus expers & interitus.

Generationem ergo alij omnem sustulerunt, alij in omnibus posuerunt. Alij omnia quidem esse genita: sed horum quedam incorruptibilia putauerunt. Alij solum ignem facere perpetuum. Alij corpus generari ex superficiebus, & in easdem resolvi. Sed

Non potest corpus constare superficiebus. Eadem enim ratio est corporis ad superficies, quæ superficii ad lineam, & lineæ ad puncta. At sexto Physic demonstratum est lineam non constare punctis, nec superficiem lineis: neque ullam magni-

tudinem vllis indiuisibilibus. Ergo neque corpus constabit superficiebus, quæ sunt indiuisibilia respectu corporis, id est, secundum crassitatem. Sed neque qua' itates physicæ in indiuisibili consistere possunt, ut grauitas in puncto, linea, superficie; grauitas enim est corporum, & omne graue diuisibile est, quia omne graue (absolutè, ut terra, ) alio est grauius, nempe aquâ: licet non contrà; (cum in his quæ nunc absolutè dicuntur, nunc comparatè, comparatiuum non semper superponat posituum, ut in graui & leui; ) at quod grauius est, diuisibile est, in excessum scilicet, & id quo excedit. Sed & omne graue densum est, omne rarum, leue: at densum à raro differt, quod sub æquali mole plus habeat potentiae; at quod tale est, diuisibile est. Quod si magnitudo constaret ex indiuisibilibus, nulla profectio esset diuisibilis; aut omnia, pūcta essent. Atque ob easdem causas non constat corpus numeris, siue unitibus inter se compositis; cum sint ea indiuisibles, nec grauitatem aut leuitatem habeant ullam, ut corpora Physica.

## Ad Caput secundum.

**O**mne corpus simplex motum aliquem habet naturali: mouet enim. Ergo vel naturâ. At motus violentus posterior est naturali. Si igitur est violentus, erit naturalis. Corpus igitur quod sursum mobile est, leue est; quod deorsum graue. Leuitas enim & grauitas principia sunt recti motus, qui vel sursum fit, vel deorsum. Naturalis motus est, cuius principium est natura rebus insita: violentus, cuius principium est vis externa.

## Ad Caput tertium.

**V**T constet de iis quæ fiunt & generantur, à cognitione eorum quæ prima insunt (hæc autem elementa) incipiendum. Est ergo elementum id corporum, in quod cætera corpora diuiduntur siue resoluuntur; in quibus inest potentia aut actus: ipsum autem in forma, specieve diuersa, est indiuisibile. Sed quod hic definitum, corporum est: immo & ipsum, corpus est; sunt enim alia, quæ elementa dicuntur. Ut elementa literarum, & principia physica, materia scilicet & forma: quæ hic non definiuntur. Esse autem talia corporum elementa patet, in carne enim, ligno & similibus inest ignis potentia, atque terra, cum hæc ex illis segregentur: in igne autem nec caro, nec lignum sunt, cum hæc ex eo non segregentur. Sed & dantur simplices motus, ergo & elementa.

Tom. I.

## Ad Cap. quartum.

**A**bsurdè Anaxagoras posuit πάντα τὰ οὐσία, omnia similaria esse elementa. Lignum enim & os, similaria sunt, aliaque mixta; quæ tamen non sunt elementa. Absurdius infinita ea esse dixit. Finita enim elementa sufficiunt; ut visum est Empedocli. Et certè differentiæ elementorum certo numero sunt definitæ, nempe per calidum, frigidum, humidum, siccum: non sunt ergo elementa infinita. Ideo Democritus & Leucippus non erroris tantum sunt accusandi, qui atomos, siue corpuscula magnitudine indiuisibilia, multitudine infinita, ut rerum principia & elementa, invenerunt; sed & contradictionis; cum infinitis illis elementis figuram attribuant: immo nec eam definiant, nisi in igne, quem sphæricum faciunt, aerem autem, aquam, terram magnitudine & paritate discernunt, tanquam ea sint omnium quæ elementa nuncupamus πάντα τὰ οὐσία, & σοιζεῖα seminarium. Esse verò elementa finita arguunt motus simplices, & loca finita.

## Ad Caput quintum.

**V**Num posuere alij elementum, quod quidam voluerunt esse aquam; quidam, aeren, quidam ignem. Quidam, medium quid: aqua quidem subtilius; sed aere densius. Hi omnium maximè errant. Faciunt enim pura elementa, rarum & densum: aut subtile, crassum: aut quid mixtum ex denso & raro. Quod si subtilioris rationem habeant, cur non potius ignem ponunt? subtile autem λεπτόν, est μικρομέρη, paruarum partium; παχύ, crassum, magnorum siue μεγαλομέρη. Ergo magnum & paruum essent elementa, quod falsum; cum sint ad aliquid. Sunt igitur elementa plura quidem, cum sint plures & diversi simplices motus; sed finita.

## Ad Cap. sextum.

**E**lementa non sunt æterna, (supple secundum omnes suas partes,) cum reciprocis mutationibus dissoluantur & intercant; & ex se se mutuò gignantur.

## Ad Caput septimum.

**S**ecratione quadam generari elementa. Sex se inuicem dixerunt Democritus & Empedocles; v. g. aeren ex aqua, segregatis partibus, siue atomis aeris ex aqua, cui erant immixtæ. Sed erant; cum fucata inuehant generationem, rerum formas, quasi ex vase, non ut pat est, ex materia.

M. iii

*πραιuiis alterationibus deposita depromentes, & in actum eduentes, sed omnem generationem ad rarefactionem & condensationem referentes.* Aërem enim sic ex aquâ generari, est tantum aquam rarescere: & ex aëre fieri aquam, nil aliud est, quâm aërem addensari. Iam enim erat aër in aquâ: aqua in aëre. Ut verò secretione, sic nec transfiguratione, μετασχηματίσῃ, fiunt ex se inuicem elementa, ut ex eadem cera globus, & tessera; alioqui elementa essent indiuisibilia; neque pars ignis esset ignis; quod falsum. Neque etiam resolutione superficierum, aut diuisione in plana. Quia qui hoc aiunt, experientiae repugnant, docenti omnia elementa ex se inuicem generari, ut corpora ex corporibus. Quòd si corpus è planis componant, coguntur fateri generationem fieri ex non corpore.

*Ad Cap. octauum.*

**N**Vlla certa ac determinata figura elementis est attribuenda, ut putarunt Platonici. Si enim ignis figuræ esset pyramidalis vel sphæricæ; aër octaedræ; aqua eicosaedræ; terra cubicæ; daretur vacuum in aere & aqua. Eorum enim figuræ locum non implerent. Secundò, simplicia corpora à continente & loco figurantur, præsertim aer & aqua: non habent ergo determinatam figuram. Et certè id natura docere videtur, & ratio. Subiectum enim sine

*ἀειδὲς ἀμορφούσιν τὸν τοῦ οὐρανοῦ μέρον εἰναι.* materia expers esse debet formæ omnis, ut commodius quamlibet possit excipere: Ut dicitur in Timæo. Cum ergo elementa sint mixtorum materies, debeantque simul ad eorum procreationem commisceri, & figuræ diuersas induere, omnis determinatae figuræ debent esse expertia. Neque verò propter motum, vñlāmve ipsorum affectionem, iis figuræ attribuendæ sunt, putà sphærica vel pyramidalis igni; quod scilicet illa ad motum, hæc ad vim calefaciendi sit aptissima: angulus enim, ut aiunt, calefacit & accedit: item cubica Terræ, quod figuratum constantissima sit & firmissima; non, inquam, propterea certæ elementis figuræ debent accommodari, quia sphærica non est apta recto motui, & ignis proprio; & Terra extra suum locum mouetur, & cætera elementa in suis locis quiescunt. Quòd si ignis ideo calefacit quòd angulos habeat, alia etiam omnia elementa calefacent cum angulos habeant: Sed & pyramidalis figura secat, diuidit, separat: at proprium ignis est vnire congregate τὰ ὄμοφυλα, quæ sunt generis eiusdem; licet per accidens scernat quæ diuersi generis sunt. Denique calidum & frigidum elementum, sunt contraria: ergo habent figuræ contrarias: sed hoc falsum,

cum nihil sit figuræ contrarium. Secum interim pugnant Platonici, qui relicta figuram caletaciendi ad tenuitatem & subtilitatem partium referunt; frigefaciendi, ad magnitudinem. Non differunt igitur elementa figuris.

*Liber quartus de Cælo.*

**A**bsolutur sex capitibus, vbi de graui & leui, & motu elementorum.

*Ad Cap. primum.*

**G**raue & leue aliud ἀπλῶς, simpliciter tale; aliud τρόπος ἐτερον, ad alterum, siue comparatè, id est, grauius altero, ut æs ligno. Quæcumque naturaliter feruntur sursum, ea apta sunt ferri à medio; quæ deorsum, ad medium. Sursum autem est extre-  
mum cœli; deorsum, medium: graue ergo πέντε est, quod ad medium ferri natum est. Leue, quod à medio. Graue simpliciter, quod κοῦφον, simpliciter deorsum & ad medium tendit. Leue simpliciter, quod sursum fertur ad extre-  
mum. Graue ad alterum est, cum datis duobus æqualis molis graubus, alterum deorsum velocius & alterum tardius fertur. Nam quod velocius fertur, grauius dicitur; quod tardius, minus graue, & ad alterum graue. Leue ad alterum, contra.

*Ad Cap. secundum.*

**M**alè Plato putauit corpora grauia esse ob multitudinem superficierū, vel triâgulorum. Sic enim maior ignis plus haberet grauitatis, quia constaret pluribus trigonis; & minor, plus leuitatis: quod falsum. nam ignis maior celerius ascendit: minor, contrâ. Item maior aeris portio grauior est; aqua minore: & multa lana paucō æte. Sed & falsò dixerunt alij ea esse grauiora, quibus minus interceptum est vacui. Quia leuitatem ad vacuum; grauitatem ad plenum & solidum sine ratione retulerunt. Imò neque plus materiæ causa est grauitatis, neque minus, leuitatis: nihil enim esset simpliciter leue: & multis ignis pauca aqua esset grauior.

*Ad Cap. tertium.*

**S**ic de latione iudicandum, ut de alteratione & accretione. Fiunt enim omnes inter contraria, & determinata. Omne ergo loco mobile, fertur vel sursum si leue: vel deorsum, si graue: vnumquodque verò ad suum locum fertur, ut ad actum suum, perfectionem, & speciem, idque

*Cap. 4. I.  
8. Physic.*  
à suo generante, quod nimis generando,  
& tribuendo esse, tribuit etiam grauitatem  
& leuitatem, quibus naturalis locus obtineatur. Qui quidem locus cum se habeat ut  
terminus continens rem locatam, eamque  
benignè & suauiter excipiat, conseruetque  
naturæ suæ conuenienter, actus & perfe-  
ctionis titulum iure sortitur.

*Ad Caput quartum.*

**G**raue simpliciter, est quod omnibus  
substat, ut terra. Leue simpliciter,  
quod omnibus supereminet, ut ignis, siue  
vtrumque in paruâ, siue in magna sit quan-  
titate. Grauia & levia ad alterum, sunt ea  
quibus vtrumque inest, id est, quæ ἀπολά-

ζουσι τοι ργι υφισταται, quibusdam super-

eminent, quibusdam substant, idque per se

& secundum eorum quantulascūque par-

ticulas, ut aëris, aqua.

Ab his mixta grauitatem & leuitatem  
habent.

*εἰς ἀπει-  
πον οἴη-  
ται μητέρη*  
Grauia feruntur ad definitum medium;  
levia ad definitum extrellum. Nihil enim  
fertur in infinitum, & motentur omnia ad  
pares angulos in contraria, sursum scilicet  
& deorsum: ex quo sequitur, duo esse ele-  
menta extrema contraria, simpliciter leue,  
& simpliciter graue: ignem scilicet & ter-  
ram: quæ in loca illa contraria ferantur:  
Inter hæc autem esse duo media, vtriusque  
extremi naturam participantia, aërem &  
aquam.

Quæ autem elementa superiora sunt &  
leuiora, ea perfectiora sunt, & formæ ratio-  
nem sortiuntur respectu inferiorum: quia  
hæc ab illis continentur contineri enim,  
materiæ est, continere, formæ.

*Ad Caput quintum.*

*πορπολή,  
αντίπολη*  
**E**lementa sunt quatuor. Est enim vnu  
simpliciter leue, semper aptū ferri sur-  
sum: est alterum ei omnino contrarium: er-  
go sunt alia duo media, quæ modò sursum,  
modò deorsum, inter se comparata ferun-  
tur. Vnde sequitur tot esse materias parti-  
culares, & secundas, accidentario scilicet  
discrimine caloris, frigoris, humiditatis, sic-  
titatis, leuitatis & grauitatis ( vtriusque du-  
plicis) differentes, licet una sit omnium cō-  
muniis materia, cum ex se mutuò fiant. In-  
termedia elementa grauitant in propriis lo-  
cis: detracta enim terra, aqua deorsum ten-  
dit in terræ locum succedens: aqua subtra-  
cta descendit aëris in locum aquæ. At non  
contra. Nam non ascendit aqua in locum  
aëris, nisi per vim.

Extrema aliter habent: ignis enim non  
descendit in locum aëris sublati, nec terra  
ascendit in locum aquæ, vel aëris. Quia ignis

non grauitat, nec terra leuitat, in loco natu-  
rali, cum extrema sint.

*Ad Caput sextum.*

**C**onferat figura ad motus celeritatem,  
vel tarditatem siue sursum, siue deor-  
sum; non tamen ipsius motus per se ac sim-  
pliciter causa est. Sic acuta figura & angu-  
losa, cum facile diuidat secetque medium,  
facit celeritatem; lata verò, & expansa, &  
obtusa, tarditatem. Hinc plumbi aut ferri  
lamina in latiore figuram expansa, aquis  
innatat: multum enim de subiecto corpo-  
re comprehendit: quod non facile diuide-  
re ac penetrare potest. Sed de graui & le-  
ui satis.

*Summa librorum duorum de Generatione  
& Corruptione.*

**S**ubiecta his libris materies corpus est  
physicum, ut generabile & corruptibile.  
Licet enim de alteratione, accretione,  
mistione, hinc etiam agatur; explicitur ta-  
men talis corporis gratia. Hinc patet ratio  
inscriptionis, quæ ab excellentia generabi-  
lium mutatione, quæ generatio est, petita  
fuit.

In libro igitur priore, veterum opiniones  
primò referuntur de ortu & interitu rerum;  
deque discrimine generationis & alteratio-  
nis. Tum quid de iisdem sit ex rei veritate  
sentiendum, explicatur. Tertiò notantur  
discrimina alterationis, accretionis, decre-  
tionis. Quartò agitur de contactu, actione,  
passione. Postremò de mistili & mistione.  
Atque hæc quidem omnia decem capiti-  
bus absoluuntur.

Liber posterior est de elementis, ut sunt  
prima generabilia & corruptibilia, & prin-  
cipia mixtorum.

*Ad Caput primum, libri prioris.*

**D**icendum τοι γενεσεως φυσις, ἐν  
δε τοι αὐξησης, καὶ ἀλοισης, de  
generatione & corruptione, & de accretio-  
ne & alteratione. Sed audiendi primum ve-  
teres, quorum alij generationem dixerunt  
esse alterationem: quia generari nil aliud  
esse putent quam alterari: cum ab uno re-  
manente eodem secundum naturam om-  
nia oriri affirment: alij vtramque distinx-  
erunt, plura principia materialia constituen-  
tes è quibus omnia oriantur, per coitionem;  
intereant per disiunctionem; alterentur per  
varias qualitates. Sed hi ( Empedocles &  
alij, de quibus etiam primò Physic.) non ta-  
distinxerunt generationem ab alteratione,  
quam distinxisse videntur. Aiunt enim qua-

litates esse formas elementorum, & has nū-  
quam deponi aut de nouo introduci ; cum  
elementa sint perpetua, neque vnum ex al-  
tero fiat, adeoque nec materia vnius dispo-  
ni possit qualitatibus alterius: alteratio enim  
est in gratiam generationis. At hoc, quid  
aliud est, quām tollere alterationē? Si enim  
tollitur commune subiectum, quod contra-  
rias affectiones vicissim recipiat, ut illi tol-  
lunt, necessum est tolli funditus altera-  
tionem. Sed sensui & sibi contradicit Em-  
pedocles.

*Ad Caput secundum.*

**T**enuiter & diminutè Plato de ortu e-  
git & interitu ; tantum enim de ele-  
mentorum origine, nihil de mixtis, nihil de  
alteratione, accretione, aliisve mutationi-  
bus. Ut nec alij Philosophi ~~τὸν τὰ ἐπιμόλιον~~, nisi superficie tenuis, præter vnum De-  
mocritum, qui de omnibus dixit, licet non  
satisficerit: Figuras scilicet siue corpuscula  
insectilia & infinita introduxit, quorum  
~~ταξική σύγχρησις~~, segregatio & con-  
gregatione, generatio fieret, & corruptio;  
~~τάξις τε καὶ γένεσις~~, ordine & situ, alteratio. Sic  
enim ex iisdem literis variè dispositis, di-  
ctionum, in & comediae & tragœdiæ va-  
rietas existit.

Absurdius sentit Plato, quām Demo-  
critus. Ille enim corpora Physica in super-  
ficies, è quibus tamen nihil materiale, aut  
Physicæ affectionis compos oriri potest, vt  
in principia resolutebat, neque causam mu-  
tationum Physicarum reddere poterat:  
Hic verò omnia in corpuscula individua  
atomosve, reducebat: ex quarum diuer-  
so situ, compositione, figurisque diffe-  
rentibus, diuersas alterationes explicabat.  
Quamquam falsa est Democriti opinio, ge-  
nerationem, atomorum coniunctionem  
facientis ; & corruptionem, secretionem.  
Vbique enim ac si ex punctis existeret,  
compositum diuisibile esset ; & in minima  
segregatio, & ex minimis congregatio ; at  
perfecta generatio est totius in totum mu-  
tatio. Generatio enim & alteratio differunt  
subiecto. Huius enim subiectum est ens in  
actu, integrum, completum : Illius verò  
materia & generatio substantia est, altera-  
tio qualitatis, Quanquam concedere par-  
est, segregationem & congregationem fa-  
cere ad generationem & corruptionem,  
quatenus quæ magis segregata & diuisa  
sunt, facilius corrumpuntur: cùm minus re-  
sistant; quæ autem magis congregata sunt,  
vnita, & grandiora, difficilius, tardiusve, cù  
fortius resistant. Virtus enim vnitate fortior  
est seipsâ dispersâ.

ὅταν με-  
ταβάλλει  
καὶ τοῦ δε  
εἰς τέδε  
ἔλον.

*Ad Caput tertium.*

**G**eneratio propriè dicta & substantialis  
fit aliquo modo, è non ente simplici-  
ter, alio autem modo ex ente semper. Quia  
omnia fiunt è materia, quæ est non ens a-  
ctu, ens autem potentia, ( vt dictum primo  
Physic.) siue substantia potestate. Neque  
enim materia est hoc aliquid, substantia  
scilicet actu & determinata, siue simplici-  
ter; neque ens simpliciter quantum, aut  
quale, sed potentia tantum.

Perpetuae successionis generationum,  
tam earum quæ simpliciter, quām earum  
quæ secundum partem fiunt, dicunturque  
alterationes, duæ sunt causæ, efficiens, quæ  
est duplex, vna mouens, immobilis æterna,  
scilicet primus motor? altera mouens &  
mobilis simul, scilicet cœlum, quod cum ~~petuitati~~  
semper moueat & moueatur, causa est om-  
nium mutationum: & materialis, siue mate-  
ria, è qua res generabiles & corruptibiles  
constant. Non quod ea sit infinita actu, (nō  
enim datur tale infinitum,) nec quod sit in-  
finita potestate: & quoad diuisionem in mi-  
nores semper particulas, quas vocant scho-  
lae proportionales: sic enim quæ genera-  
tur, fierent in dies minora; quod falsum est.  
Multi enim filii parentibus sunt maiores:  
sed quia, cùm materia finita sit, semperque ~~vnius est~~  
eadem maneat & incorruptibilis, corruptio generatur  
vnius entis Physici, sit generatio alterius.  
Ita vt quæ materia relinquitur in corru-  
ptione vnius, eadem in alterius genera-  
tione assumatur; & ita consequenter ab-  
euntiam & succendentium formarum vicis-  
itudines una materia in se recipiat, nec  
formam vnam dimittat vñquam, quin aliæ  
semper adsciscat.

Generatur substantia & corrūpitur sim-  
pliciter: Accidens verò secundum quid.  
Quia substantia est ens simpliciter, acci-  
dens non item; sed modo quodam atque  
entis ens. Generatio etiam ignobilioris sub-  
stantiæ, vt terræ, dicitur secundum quid,  
respectu nobilioris, vt ignis; quia differen-  
tia terræ, quæ est frigus, ignobilior est, dif-  
ferentia ignis, quæ est calor. Explicat autem  
Aristoteles differentias substantiales ele-  
mentorum, quæ sunt ignotæ, peracciden-  
tales, quæ sunt notissimæ: nam frigus est  
veluti priuatio, calor autem ueluti habitus.  
Denique ea quæ magis sunt sensibilia, di-  
cuntur etiam simpliciter generari; minus  
sensibilia, secundum quid. Tres ergo sunt  
modi generationis simpliciter & secundū  
quid. Corruptionem semper sequitur ge-  
neratio: quia terminus ad quem corruptio-  
nis, scilicet non ens, est terminus, à quo, ge-  
nerationis & terminus ad quem, genera-  
tionis, scilicet ens actu, est terminus à quo,

*Geniti & corruptionis. Est verò eadem re ipsa corrupti & geniti materia, prout fiunt ambo, aut fieri possunt ex se mutuo, ut aér ex aqua, aqua ex aëre, diuersa autem ratione, prout aliter est disposita sub corrupto, quam sub genito. breuius dicerem. Conuenire corruptum & genitum primâ materiâ, non secunda.*

*Ad Caput quartum.*

**G**eneratio & alteratio sunt diuersæ mutationes. Fit enim tunc alteratio, cùm subiectum sensibile permanens & integrū, mutatur in suis affectionibus, ut cum corpus idem manens è sano fit ægrum, vel contra. Generatio autem, cum totum mutatur in totum, nullo sensibili ut subiecto remanente. Ut cum ex aëre toto fit aqua, aut contra: corruptio verò cum totum corrumpitur. Quod si contingat in genito remanere affectionem & qualitatem, quæ fuit in corrupto; ut est perspicuitas, aut frigus in aquâ ex aëre orta, sane putandum non est fieri transmutationem secundum illam qualitatem communem: etenim ea transmutatio non erit alteratio, cum tunc fiat mutatio totius in totum: nec generatio, cum hoc non fiat ex recepta qualitate. Alteratio enim est mutatio secundum qualitatem; ut accretio & decretio secundum quantitatē, & latio, secundum locum. Et generationis quidem subiectum maximè proprium est materia. Quodam autem modo, id quod aliis subiicitur mutationibus, id est totum Physicum, quod potest dici subiectum generationis: cum ea sit mutatio totius in totum. Et hæc est nostra huius loci interpretatione. Licet forte omnes censemant velle Aristotelem, materiam esse propriè subiectū generationis, ut scilicet prima est: eandem verò, esse etiam aliarum mutationum subiectum, sed impropriè & modo quodam, quia tunc secunda est: & quia omnes materia in se suscipit contrarietates. Sed si Aristoteles de vnâ & solâ materia loquetur, non diceret, Omnia subiecta susceptiva sunt quarundam contrariatum, sed in singulari, omne subiectum, &c. Signum est ergo eum voluisse, diuersa diuersarum mutationum subiecta significare; præsertim cù h̄c intendat generationem ab aliis mutationibus, penes subiectorum diuersitatem, distinguere: Ita ut velit subiectum propriū aliarum mutationum esse totum comple-  
tum & integrum, sed tamen illud idem totum Physicum modo quodam esse etiam subiectum generationis. Hoc enim disertè & non semel inculcauit hoc capite Aristoteles, generationem esse cum totum mutatur. Legatur textus, sub finem. Vbi subiectorum diuersitas & multitudo non obscu-

*rē significatur. πάτη δεκτικὴ τὸ ὑποκείμενα, σωματώσεων πνεύμων.*

*Ad Caput quintum.*

**A**periendum discrimen Accretionis, *Discrimē  
accretionis  
ab aliis  
mutationi-  
bus.*

Differit Accretio & decretio ab aliis mutationibus. Primo, quia generatio & corruptio versantur circa substantiam; alteratio, circa qualitatem; latio, circa locum; accretio autem & decretio, circa quantitatem. Et hoc discrimen petitum est à termino ad quem. Secundo, quia quod generatur & interrit, vel alteratur, non necessariò mutat locum atquod crescit & decrevit, a liquo modo mutat. Fitenim crescendo maius, decrescendo minus. Et hoc discrimen petitū est ex modo.

Non fit Accretio ex aliquo separato, ut neque generatio, sed ex coniuncto, id est, ex materiâ quanta, insita, corporea, vna, eademque numero, ratione tamen non vna, & separabili tantum per cogitationem à magnitudine & qualitate. Accretio enim est præexistentis quantitatis additamentum τὸν οὐντάρχον μεγέθους ἐπιδοσις: Decretio verò eiusdem μείωσις, diminutio; ergo existit materia quanta, corporea & magnitudine affecta, in re crescente, vel decrescente, antequam crescat vel decrescat.

Quicquid verò crescit vel decrescit, secundum quamlibet sui partem crescit & decrescit. Fit quippe Accretio ex aliquo in singulis partibus, quæ augescunt, recepto; Decretio, ex aliquo ex iisdem abeunte. In accretione verò augetur crescitque viuens, siue corpus animatum, cui scilicet alimentum apponitur, non autem ipsum alimentum: quia viuens remanet: alimentum verò corrumpitur, & in substantiam viuentis conuertitur. Hinc quod crescit, simile est ei quod alteratur: utrumque enim permanet. Et quemadmodum in eo quod crescit, est vis auxtrix; sic in eo quod alteratur est vis alteratrix. Sunt autem duo genera Alterantium: vnum quod agendo non repavit, ut Sol, qui calefaciendo elementaria, nihil inde repavit: altetum, *Duo gene-  
ra Altera-  
tionis.* quod agendo repavit, ut elementaria omnia. Sic aqua calida cum in frigidam effunditur, eam calefacit, & simul ab eadem refrigeratur. Viuentis partes omnes accrescent, sed similares prius (nempe ossa & carnes) quam dissimilares, (nempe manus:) cum haec ex illis constent. Neque verò ut aliquid crescat, vacuum necessarium est, aut penetratio corporum, in eodem loco se occupantium. Neutrū enim

*Fit Accretio per partes formae.* Augetur ergo pars viuentis quælibet, & accedente aliquo secundum formam, non secundum materiam. Etenim per illud, augetur totum les, non per quod maius fit, qua totum est tale: Sed materiales accedente aliquo secundum formam, totum fit maius, qua totum tale, non secundum materiam. Accedere enim dicitur quid secundum formam, cum similem speciem & figuram habet ei cui aduenit; secundum materiam verò, quod eamdem retinet materiam, non eamdem formam. At viens non crescit, nisi partes eius singulæ crescent secundum suam propriam speciem, putò os, secundum id quod accedens formam habeat ossis; caro, secundum id quod accedens ad accretionem faciendam, habeat formam & speciem carnis: & ita de cæteris. Licet enim alia multa accederent materiae rationem habentia, & partibus apponenterunt; non fieret tamen accretio; quia hoc esset aduenire secundum materiam tantum neque totum viens, ut tale est, formaliter, & secundum speciem, per ea sola materialia, id est, forma & specie partium augendarum destituta, crescere posset; cum os crescere non possit per non os, caro per non carnem. Cum ergo accretio fieri debat per similia vienti, seu potius per ea quæ sint eiusdem naturæ & speciei cum suis partibus; caro enim per carnem superadditam crescit, non per aliud, rectè dicitur accretionem fieri accedente aliquo secundum formam, non secundum materiam. Ideo enim accretio manifestior est in dissimilaribus, ut in manu, brachio, pede, quā in similaribus, ut in carne, osse, quia hæ magis ad materiam accedunt quam illæ. Dissimilares enim formam & speciem magis arguunt, & in eis speciei discrimen relucet magis. Atque ex ante dictis palam est, id quod res augetur, puta alimentum, tale esse debere potentia, quale actu est id quod augetur. Sic panis est potentia caro. Quia scilicet accessio fit secundum speciem & for-

*Alimentum.* Itaque alimentum initio est contraria initio dissimile, cum nempe adhuc est potuisse, in fine autem, cum scilicet assimilatur, vnitur, & agglutinatur, simile est; quia tunc induit formam partis, sitque quodammodo generatio, quam vocant aggenerationem: Idque virtute corporis animati, quod digerit alimentum, illudque in suam transmutat substantiam. Quare accretio supponit nutritionem. Nihil enim crescit, quod non nutritur. Nutritio autem fit, cum alimentum, quantum substantia est, conuertitur in substantiam viuentis: Accretio autem, cum idem alimentum, ut quantum est, accedit ad quantitatem viuentis. Quæ non fit ut vniuersalis & abstracta, sed ut hæc est, & singularis. Caro

igitur quanta, auget: caro autem solum, nutrit: id est, ut substantia est, vnde nutritus & augens, & si subiecto unum sint & idem, ratione tamen differunt & secundum esse τὸ ἀναπλήσιον. text. 41. Hinc animal quādiu viuit saluumque est, nutritur, non tamen semper crescit, quia quādiu viuit animal, semper accedit alimentum, quod est potentia caro, quæ ut caro nutrit, sed nō semper caro accedit, ut quanta; ideo non semper auget. Atque ut aqua paulatim in vinum infusa, primò quidem vinum auget, cum vinum tunc aquam superet: deinde cū multa adhuc aqua addita fuerit, vinum deteriorius reddit & aqueum; donec tandem nimia aquæ copia vinum in aquam degeneret; sic dum nutriti facultas in viuente validior est ac fortior, plus alimenti digerit, conuertitque. Sed cum plus materiae siue alimenti accedit quam pars est, frāgitur tūc, *Fit accretio & collapsa plus materiae perdit,* quam accretio reparet: vnde decretio quantitatis sequitur: permanet tam in decretione quam accretione, forma speciæque rei viuentis salua persueret.

## Ad Caput sextum.

**D**icendum de actione, passione, mistione, quia de generatione elementorum, quam explicarunt quidam, congregazione, quæ mistio est, agere oportet, quæ sine agente & paciente fieri nequit: aiuntque qui plura constituunt elementa, eorum actione & passione mutuā fieri generationē, licet interim cogantur admittere, præter elementa, vnum commune subiectum, quod contrariorum vices pugnasque sustineat, cum vnum contrarium non agat in alterū, nec in calorem transeat frigus, sed ipsum subiectum, nempe materia, mutationem recipiat. Necesse est ergo, ea quæ agunt in se inuicem & se mutuo patiuntur, habere vnam communem materiam: ut sunt sola elementaria.

Quod side actione, passione, mistione dicendum sit, & de tactu quoque dicere oportet; quia non est actio, passio, mistio, sine cōtactu. Tactus ergo dicitur πόλλαχος. Primum enim ea se tangere dicuntur quæ cum diuersas habeant magnitudines, & differat situ, eorum tamen extrema sunt simul. Secundò, quæ ita diuersas habent magnitudines, situm, locum, & extrema simul, ut sint ad inuicem actiua & passiua. Et hic contactus Physicus est, qui conuenit elementis, grauiibus, leuibus. (Non omne mouens est agens, siue faciens, id est, alterans.) Tertiò, quæ ita se habent, ut vnum immobile moueat alterum ab illo moueatur: sic cœli tangent sublunaria influendo; eum interim nō